

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Disputationes Chirurgicae Selectae

Haller, Albrecht von

Lausannae, MDCCLV.

VD18 90538943

CII. Dissertatio Chirurgica, De Lithotomiae Celsianae Praestantia Et Usu.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16605

CIL

DISSERTATIO
CHIRURGICA,

DE

LITHOTOMIÆ CELSIANÆ
PRÆSTANTIA ET USU.

Quam Præside

D. LAURENTIO HEISTERO,

Publice tuebatur

JOAN. GUIL. ILSEMANN.

CELLERFELDENSIS CHERUSCUS.

Helmstadii mensæ Novembris anno 1745.

V 3



CH
DISECTATIO
CHIRURGICA
DE
LITHOTOMIA GERMANICA
PRÆSENTATA ET PER
OPUS
D. LAURENTII HESTERII
J. VAN GUILLELMI
CELLEREDENSIS CHIRURGI
Hamburgi mense Novembri anno 1704

V



C A P U T P R I M U M.

De Lithotomia in universum, de diversis ejus Methodis, ac speciatim de celsiana sive antiquissima.

I.

Lithotomia dicitur actio, qua calculus homini e vesica excinditur, eaque æger a calculo vesicæ atque ab intensissimis cruciatibus & mortis inde metuendo periculo liberatur. Oritur hoc vocabulum a Græco λίθος lapis & τέμνω seco. Modi ejus potissimum quatuor hodie celebrantur, primus dicitur *Celsi*, aut *Celsianus*, sive *parvus apparatus*; alter *magnus apparatus*; tertius apparatus *lateralis*, & quartus apparatus *altus*; de quibus vero singulis postea plura.

Lithotomia quid, ejusque modi.

2. *Antiquissima*, vel saltem ex antiquissimis hæc est curatio: quia *Hippocrates*, antiquissimus Medicorum, de quo scripta supersunt, & qui tribus circiter seculis ante Christum natum vixit, jam de ea, & non tanquam de nova quadam curatione sive actione chirurgica loquitur; sed de tali, quæ jam multum ac diu in usu fuit, & cujus tempore jam Medici sive chirurgi peculiariæ erant, qui speciatim, ob magnam, quæ eam comitatur, difficultatem, ei rite perficiendæ incubuerunt, eamque recte administrandam studuerunt.

Antiquissima est curatio.

3. Conspici & probari hoc potest ex *Hippocratis* libello, quem *ὄγκος* sive *jurjurandum* inscripsit, in quo discipulis suis præcepit, ne calculum hominibus excinderent, sed iis hanc curationem relinquunt, qui in difficillima hac administratione sive operatione probe versati sunt, dum ita discipulis suis jurare præcepit; *Neque vero calculo laborantes secabo; sed magistris ejus rei peritis id muneris permittam.*

Eam Hippocrates suis interdixit.

4. Disci ex his potest, *Hippocratem*, sapientissimum alias Medicum, ab hac sectione abhorruisse; non quidem, ac si eam ægris haud necessariam esse judicaverit, nam alias in universum omnes Medicos inde fuisset dehortatus. Nam profecto maximi cruciatus, ac summi dolores, qui ægros calculo laborantes affligunt, tanti & tam vehementes sunt, ut præsentis quosvis ad misericordiam commoveant; verum etiam multi omni tempore ex cruciatuum vehementia nervorum distentionibus sive spasmis & convulsionibus, urinæ suppressionibus quam maxime dolorificis, imo epilepticis motibus vehementissimis haud raro correpti miserrimo spectaculo mortem subire coacti fuerunt.

Ob difficultatem & periculum.

5. Itaque, ut prudens *Hippocrates* erat Medicus, afflictis ægris alias quam lubentissime auxilium aliis in morbis ferre solitus est, & qui viderat atque longo

Necessaria tamen est. longo



longo usu didicerat, calculo vesicæ paulo majori laborantes medicamentis a gravi hoc malo liberari haud posse, adeoque, *ubi medicamenta non sanant*, secundum ipsius prudentissimum præceptum Aphorism. 6. Sect. VIII. *ad ferrum sive scalpellum esse progrediendum*, dum alias nullum ipsis supererat remedium, atque etiam ipsi haud ignotum erat, ægros calculo laborantes per hanc curationem curari, & a calculo liberari saltem sæpe posse, si ea recte instituitur; tamen quia etiam noverat, in *hac actione vesicam esse vulnerandam*, atque ex vesicæ vulneribus homines, si non semper, sæpe tamen & ut plurimum mori, ita, ut, ubi de vulneribus, quæ mortem inferunt, sive quæ lethifera sunt, vesicæ vulnera, & quidem primo loco reposuerit, quando Aphorismo 18. Sect. VI. ait: *cui perfecta est vesica*, aut cerebrum, aut cor, aut septum transversum, aut aliquod ex intestinis tenuibus, aut ventriculus, aut hepar, *lethale*. Hinc, nisi me omnia fallunt, ob præjudicatam opinionem, quam hic fovit, vulnera vesicæ omnia esse mortifera, hanc sectionem neque ipse instituere ausus est, neque discipulis suis, ut eam instituerent, ob evidens hoc, ut putabat, periculum, quo conscientiam læderent, permittere voluit; sed potius eam serio ipsis dissuasit, imo gravi jure jurando eos, ne id facerent, adstrinxit, videturque Medicos sive chirurgos pro nimis audacibus & impiis quasi habuisse aut considerasse, qui conscientia quasi carerent, quando curationem periculi adeo plenam, & dum vesicam lædunt, quasi temerariam perficerent, qua nullus nisi casu aut forte fortuna evaderet, quia vulnera vesicæ, ut ex adducto aphorismo ejus videri licet, mortifera omniumque quasi periculosissima habuerit, atque sic sagacissimus, aliasque etiam fat magnanimus *Hippocrates* hic, mea quidem sententia, nimis timidum ac formidulosum hoc arduo in negotio se exhibuit, ubi majori animo, ut chirurgum magnanimum & intrepidum decet, ad homines a tam gravi malo afflictos & quasi suppressos, a morte miserabili liberandos, opus fuisset.

Optime
inter vete-
res a Celso
est descri-
pta.

6. Cum itaque neque in *Hippocratis*, neque in aliorum Græcorum ante Cornelium *Celsum* Medicum illum præstantissimum Latinum, scriptis aptam habemus hujus per ferrum curationis descriptionem, veri simile mihi est, Romanos hac in re, ob multos hoc malo confictatos, summamque proinde hujus curationis necessitatem & multos ejus observatos successus felices, magis animosos & audaces factos esse, ut ex metu illo, quem *Hippocrates* suis discipulis, imo plerisque ceteris tunc temporis Medicis, aphorismo suo supra adducto, præter necessitatem, incusserat, se sensim extricaverint, majorique cura ipsam feliciter, in salutem & solatium tot ægrorum, gravissime a calculo vexatorum, exercuerint atque instituerint, ita ut doctissimus *Celsus*, quem male nonnulli obrectatores pro compilatore Græcorum tantum habent, aut haberi saltem ex nimia forte in Græcos reverentia voluerunt, concinnam ac satis pro illo tempore accuratam hujus actionis chirurgicæ, sicuti multorum aliorum, descriptionem dare potuerit: quam propterea, quia fere omnia elegantissima dictione, quæ in ea scitu maxime sunt necessaria, continet,

loco

loco novæ descriptionis hic dare consultum duxi, & quæ forte vel addenda vel emendanda esse existimabo, partim postea addemus, partim in notulis quibusdam ejus verbis subjungemus. Ita vero eam descripsit libr. VII. cap. XXVI. §. 2.

7. Cum vesicæ vero calculique facta mentio sit, *locus ipse exigere videtur, quæ curatio calculosis, cum aliter succurri non potest, adhibeatur. Ad quam festinare, cum præceptum sit, nullo modo convenit. Ac neque omni tempore, neque in omni ætate, neque in omni vitio id experiendum est; sed solo fere in eo corpore, quod jam novem annos, nondum quatuordecim, excessit [a], & si tantum mali subest, ut neque medicamentis vinci possit, neque trahi posse videatur, quo minus interposito aliquo spatio interimat. Non quo non interdum temeraria etiam medicina proficiat; sed quo sæpius utique in hoc fallat, in quo plura genera & tempora periculi sunt. Quæ simul cum ipsa curatione proponam.*

Celsi descriptio lithotomiæ.

8. Igitur ubi ultima experiri statutum est, (pergit) ante aliquot diebus victu corpus præparandum est, ut modicos, ut salubres cibos, ut minime glutinosos assumat, ut aquam bibat [b]. Ambulandi vero inter hæc exercitatione utatur, quo magis calculus ad vesicæ cervicem descendat. Quod an inciderit, digitis quoque, sicut in curatione docebo, demissis cognoscitur. Ubi ejus rei fides est, pridie is puer in jejunio continendus est; & tum loco calido curatio adhibenda, quæ hoc modo ordinatur.

9. Homo prævalens & peritus in sedili alto confidit, supinumque eum & aversum, super genua sua coxis ejus collocatis, comprehendit [c]: reductisque ejus cruribus, ipsum quoque jubet, manibus ad suos poplites datis, eos, quam maxime possit, attrahere; simulque ipse sic eos continet. Quodsi robustius ejus corpus est, qui curatur, duobus sedilibus junctis, duo valentes insidunt; quorum & sedilia & interiora crura inter se deligantur, ne diduci possint. Tum is super duorum genua eodem modo collocatur, atque alter, prout consedit, sinistrum crus ejus, alter dextrum simulque ipse poplites suos attrahit. Sive autem unus sive duo eum continent, super humeros ejus suis pectoribus incumbant. Ex quibus evenit, ut inter illa sinus super pubem sine ullis rugis sit extentus, & in angustum compulsa vesica, facilius calculus capi possit. Præter hæc, etiamnum a lateribus duo valentes objiciuntur, qui circumstantes, labare vel unum vel duos, qui puerum continent, non sinunt [d].

Situs ægri in sectione.

10. Medicus deinde diligenter, unguibus circumcisis, sinistrae manus duos digitos, indicem & medium, leniter prius unctos oleo, simul in anum ejus demittit,

Curatio quomodo incheatur.

Tom I V.

X

tit,

[a] Circa varia momenta horum verborum infra illustrationes atque animadversiones graves dabimus.

[b] Hæc præparatio ægri egregia & maxime utilis est.

[c] Vid. Ill. D. Præsid. chirurg. inst. tab. XVIII. fig. 1.

[d] Si æger præsertim supra puerilem ætatem secandus, Cel. D. Præses eum tabulæ horizontali imponit, coxis sive natibus extremo tabulæ sive mensæ impositis, & a ministris ita firmandus, ut in Chir. sua Tab. XIX. fig. 9. ostenditur.



tit, dextræque digitos super inum abdomen leniter imponit; ne si utrinque digiti circa calculum vehementer concurrerint, vesicam lædat. Neque vero festinanter in hac re, ut in plerisque, agendum est. Sed ita, ut quam maxime id tuto fiat. Nam læsa vesica, nervorum distentiones cum periculo mortis excitat. Ac primum circa cervicem quaeritur calculus, ubi repertus, minore negotio expellitur. Et ideo dixi, ne curandum quidem, nisi cum hoc indicis suis cognitum est. Si vero aut ibi non fuit, aut recessit retro, digiti ad ultimam vesicam dantur; paulatimque dextra quoque manus ejus ultra translata subsequitur.

Quomodo
continua-
tur.

11. Atque ubi repertus est calculus (qui necesse est in manus incidat) eo curiosus deducitur, quo minor leviorque est, ne effugiat, id est, ne sæpius agitata vesica sit. Ergo ultra calculum dextra semper manus ei se opponit, sinistra eum compellit deorsum digitis, donec ad cervicem pervenitur. In quam, si oblongus est, sic compellendus est, ut ne pronus exeat; si planus, sic ut transversus sit; si quadratus, ut duobus angulis sedeat; si altera parte plenior, sic ut prius ea, quæ tenuior sit, evadat. In rotundo nihil interesse ex ipsa figura patet, nisi, si levior altera parte est, ut ea antecedit.

Sectio
 ipsa.

12. Cum jam eo venit, ut super vesicæ cervicem sit, juxta anum incidi cutis plaga lunata usque ad cervicem vesicæ debet [e], cornibus ad coxas spectantibus paululum; deinde ea parte, qua strictior in na plaga est, etiamnum sub cute, altera transversa plaga facienda est [f], qua cervix aperiatur [g], donec urina iter pateat, sic, ut plaga paulo major; quam calculus sit. Nam qui metu fistula, (quam illo loco *ἄποσφύδα* greci appellant) parum patefaciunt, cum majore periculo eodem revolvuntur, quia calculus iter, cum vi premitur, facit, nisi accipit. Idque etiam perniciosius est, si figura calculi vel aspritudo aliquid eo contulit. Ex quo & sanguinis profusio & distentio nervorum fieri potest, quæ, si quis evasit, multo tamen patientiorem fistulam habiturus est rupta ceruice, quam habuisset, incisa.

Calculi
extractio
quibusque
ea fit in-
strumentis

13. Cum via patefacta est, in conspectum calculus venit; in cujus corpore magnum discrimen est. Ideo si exiguus est, digitis ab altera parte propelli, ab altera protrahi potest. Si major, injiciendus a superiori ei parte uncus est ejus rei causa factus. Is est ad extremum tenuis, in semicirculi speciem retusæ latitudinis; ab exteriori parte [h] levis, qua corpori jungitur; ab interiori asper, qua calculum attingit [i]. Isque longior potius esse debet; nam brevior extrahendi vim non habet. Ubi injectus est, ad utrumque latus inclinandus est, ut appareat calculus & teneatur, quia si apprehensus est, ille simul inclinatur. Idque

[e] Loco plagæ lunatæ, obliqua etiam, ut *Ægineta* docuit, Lib. VI. cap. 60.

[f] Hæc plaga transversa sæpe non est necessaria, sed unica simplex longa & obliqua plerumque sufficit.

[g] *Celsus* dum solum de ceruice incidenda dicit, & non etiam de vesica, videtur eum quoque vesicæ vulnera lethalia credidisse.

[h] Quædam editiones hic habent ab interiori parte, quæ vero lectio falsa mihi videtur.

[i] Videri potest hic uncus delineatus in *Excels. D. Præsidis Chirurg. Inst. T. XXVII. fig. 10.*

Idque eo nomine opus est, ne, cum adduci uncus ceperit, calculus intus effugiat, hic in oram vulneris incidat eamque convulneret, in qua re, quod periculum esset, supra jam proposui.

14. Ubi satis teneri calculum patet, eodem pene momento triplex modus adhibendus est, in utrumque latus, dein extra, sic tamen, ut leniter id fiat, paululumque calculus attrahatur, quo factò attollendus uncus extremus est, uti intus magis maneat, faciliusque illum producat. Quodsi aliquando a superiori parte calculus parum commode comprehenditur, a latere erit apprehendendus. Hæc est simplicissima curatio.

Pergit ad-
dere calcu-
lum extra-
hendi arti-
ficia.

15. Sed varietas rerum quasdam etiamnum animadversiones desiderat. Sunt enim quidam non asperi tantummodo, sed spinosi quoque calculi, qui per se quidem delapsi in cervicem, sine ullo periculo eximuntur. In vesica vero non tuto vel hic conquiruntur vel attrahuntur; quoniam, ubi illam convulnerarunt, ex distentione nervorum mortem maturant, multoque magis, si spina aliqua vesicæ inheret, eamque, cum deduceretur, duplicavit. Colligitur autem eo, quod difficilius urina redditur, in cervice calculum esse, eo, quod cruenta distillat, illum esse spinosum; maximeque id sub digitis quoque experiendum est, neque adhibenda manus, nisi id consistit. Ac tunc quoque leniter intus digiti objiciendi ne violenter promovendo convulnerent: tum incidendum. Multi hic quoque scalpello usi sunt. Mezes (quoniam is infirmior est, potestque in aliqua prominentia incidere, incisoque super illam corpore, qua carum subest, non secare, se relinquere, quod iterum incidi necesse sit) ferramentum fecit rectum in summa parte lobrosum, in ima semicirculatum acutumque. Id receptum inter duos digitos indicem & medium, super pollice imposito, sic deprimebat, ut simul cum carne, si quid ex calculo prominebat, incideret. Quo consequeretur, ut semel, quantum satis esset, aperiret. Quocumque autem modo cervix ea parte secta est, leniter extrahi, quod asperum est, debet, nulla propter festinationem vi admota.

Animad-
versiones
quædam.

16. Atque hæc est antiquissima alia secandi methodus, qua veteres usi sunt a temporibus ante Hippocratem ad seculum usque XVI: unde a tempore methodus calculum secandi antiquissima, & ab eo, qui ipsam primo descripsit, licet eam non invenerit (forte tamen emendaverit) methodus Celsi vel Celsiana, & ob pauca instrumenta, quæ in eo Celsus cum veteribus adhibuit, simplex scilicet scalpellum & uncum, (cui tamen subinde forceps apte substituitur) methodus parva sive parvus apparatus appellari hodie solet.

Hæc est
parva me-
thodus.

17. Videndum vero jam præ omnibus est, quæ partes in hoc calculum e vesica excindendi modo læduntur sive discinduntur, ut ex his probe perspectis & cognitis tanto melius deinceps tam de periculo, quam de præstantia ejus judicare valeamus. Quodsi enim in figura nostra prima locum illum B B, ubi vulnus infligendum vel inflictum representatur, consideramus, atque partes huic subjectas, examinamus, deprehendimus hic sub cute pinguedinem, & deinde inter musculum penis erectorem sinistram & bulbum urethræ, musculus urinæ acceleratoribus dictis, circumdatum, spatium merà fere pinguedine, usque ad collum vesicæ & vesicæ corpus inferius & pō-

Partes quæ
in hoc ap-
paratu dis-
secantur.

sterius, ubi vesiculæ feminales ei adhærent, repletum, nisi quod fibræ quædam muscoli ani levatoris, & exiguus quandoque musculus transversus penis dictus, intercurrent, a quorum tamen omnium incisione sive læsione nihil quidquam mali notabilis oriri observatum est. *Vasa* etiam arteriæ & venæ ad penem, glandulam prostatam & vesicam abeuntia diffecanda sunt, quæ quidem interdum multum, plerumque tamen parum tantum sanguinis fundunt, & denique ipsum corpus vesicæ, cum quo simul *vesicula seminalis sinistra* & ejus ductus vel deferens sive adducens, vel excretorius forte & quandoque ureter sinister, vulnerari possunt [k]; quæ omnia tamen æque ac vesica ipsa glutinationem hic admittunt, & vesica cumprimis ipsa, hoc loco vulnerata, mortale non patitur vulnus, ut ipsa frequens experientia, optima rerum magistra, ex hac ipsa & laterali sectione calculi, a quibus tam multi ægri rursus restituti sunt & convalescerunt, evicit: quia *urina e vesica effluens non cavum abdominis ingreditur*, sed e vulnere extra corpus effluit; cum e contrario illa vesicæ vulnera, *per quæ urina in cavum abdominis influit*, uti præcipue illa sunt, quæ fundum, vel etiam corpus ejus ita lædunt, ut urina in ventrem influere possit, & revera influat, atque viscera in eo contenta atque cumprimis, intestina aliasve ibi collocatas partes lædat graviterque afficiat, omnia mortem post se trahunt.

Methodus
apparatus
magnus
dicta.

18. Interea, licet tam ingens copia ægrorum tot seculis hoc *Celsi* modo curati fuerunt, tamen quia subinde omnis generis mala atque impedimenta, sicut in aliis recentioribus modis, inciderint, ut calculus hac ratione vel profus non, vel saltem non nisi magno labore atque difficultate e vesica educi potuerit, atque ipse *Celsus* suam methodum incommodis præter necessitatem & immerito oneraverit, eamque non nisi in corporibus succedere scripserit, quæ inter nonum & decimum quintum ætatis annum sunt constituta, id quod multi ex veteribus crediderunt, & in hoc eum secuti sunt [l], multa vero calculo, vel ante nonum, vel etiam post decimum quartum annum discruciantur, aliique verbis & auctoritati ejus crediderint, hinc tempore renascentium litterarum atque scientiarum, circa initium scilicet seculi decimi sexti, Joannes de *Romanis* sive *Romanus*, Medicus Italus, alium modum, qui in quavis ætate, ut putavit, rectius institui potest, excogitavit, quem vero, quia magnus instrumentorum numerus requiritur, *lithotomiam magni apparatus* appellarunt, quem vero, quia auctor sive inventor ejus eam non ipse, sed unus ex discipulis suis, cui nomen erat *Marianus*, primus descripsit atque notum fecit, inde quoque

[k] Miror vix ullum scriptorem, qui vel de hac, vel de laterali sectione scripsit, læsionem minorum harum, attamen notatu dignarum partium indicasse, cum plerique scribunt, ac si tantum in his methodis cervix vel corpus vesicæ vel utrumque incidere-
rentur.

[l] *Paulus Aegineta* senes a sectione calculi non excludit, Lib. VI. cap. 60. sed fationem tantum difficilius succedere quam in pueris: qua in re Arabes, præsertim *Albucasis* tom. II. cap. 60. *Brunus* in chir. magna cap. 17. aliique ex veteribus eum secuti sunt & quidem rectius.

que dictus fuit *Marianus*, & quia etiam sensim a præstantioribus & celebrioribus chirurgis ac lithotomis, ob varias rationes, & potissimum forte, ne propter facilitatem methodi antiquæ numerus lithotomorum nimis aueretur, atque sic reditus illorum imminerentur, sæpius, quam minor fuerit usurpatus, atque sic vulgaris fiebat, *methodus* etiam *vulgaris*, præsertim etiam in Gallia, ubi calculus morbus est frequentissimus, fuit appellata, in qua ad ductum inventoris, ope catheteris fulcati, antea incogniti, per urethram in vesicam immitti, in perinæi fere medio, *juxta futuram* [m] *incisio* fiebat *urethræ* usque in sulcum hujus catheteris, sicut ex *Toleti* fig. 14, 15, 16, 17. & pluribus videri potest, duorum triumve digitorum transversorum longitudine, per quod vulnus postea ductores varii [n] usque in vesicam immittuntur, & ope horum forceps, quæ in Ill. D. *Præsidis* Inst. chirurg. Tab. XXVIII. quoque delineantur, quo calculus quæritur, comprehenditur, atque probe prehensus, nisi forte nimis magnus est, aut aliud quid obstat, educitur, sicut hæc *methodus* in eodem libro aliisque multis scriptoribus chirurgicis uberius legi potest.

19. Postquam vero hic modus extrahendi calculum per duo fere secula integra, decimum sextum scilicet & decimum septimum, viguit atque in frequentissimo usu fuit *contempto fere prorsus* a celebrioribus chirurgis, ob rationem antea indicatam, *antiquissimo sive parvo apparatu*, in fine decimi septimi & potissimum hujus decimi octavi seculi initio, nova rursus eaque tertia *methodus*, aut potius si recte loqui velimus, mutata tantum quodammodo *methodus* *Celsiana*, auctore monacho quodam Gallo, Fratre *Jacobo*, Gallis *fratre Jaques* dicto, Parisiis primo ac deinceps in Hollandia ab ipso exerceri atque celebrari cœpit, qua *Jacobus* catheteris quoque beneficio sectionem suam instituere cœpit, sed non fulcati, id quod admodum imprudenter ab ipso factum erat, verum *teretis*, neque prope futuram perinæi, neque in urethram, sicut in majori apparatu, sed ad latus perinæi sinistrum juxta vel prope anum, inter hunc scilicet & protuberantiam ossis ischii, loco a futura perinæi longe remoto, sicuti in parva sive *Celsi methodo* fere fieri solet, & vulnus in Tabulæ nostræ fig. 1. & 2. litt. B B indicatur, pergendo scalpello per eandem prorsus viam, quam in parva

Methodus
fratris Ja-
cobi.

[m] Sunt varii magni nominis medici & chirurgi, ut *Avicenna*, *Guido Cauliacus* Tract. VI. ubi de calculi sectione, aliique qui, quod *incisio hujus futurae mortalis sit*, scripserunt, & hinc *partem lateralem* incidendam esse docuerunt. Verum hoc nullo exemplo docent, nec ratio ulla est, ob quam incisio hujus partis mortem inferre possit. E contrario *Excell. D. Præses* superiori mense Septembri fistulam ani, quæ ab ano per perinæum sub futura hac sive raphe accurate fistulosum ductum, ad scrotum se extendentem habuit, sine hæsitacione in hac futura aperuit, & totam hanc futuram dissecuit, æger tamen nullum incommodum inde sensit, sed bene convaluit, ita ut periculum hujus læsionis pro fabula habeat, omni ratione & experientia destitutum.

[n] Quos Galli *Conducteurs* appellant, & quorum figuræ in *Cel. D. Præsidis* Chirurg. Tab. XXVIII. fig. 2. 3. 4. conspici possunt.



va methodo ire solet, ad ipsam vesicam, nimirum inter musculum erectorem penis sinistram & acceleratorem urinæ: quæ satis aperta, ductorem aliquem, fere ut in magno apparatu, ac postea forcipem calculariam per hoc vulnus in vesicam immisit, calculum quæsit, eumque promptissime ut plurimum, licet sæpius infeliciter, quam feliciter, eduxit.

Methodus
Raviana si-
ve latera-
lis.

20. Cum enim hic monachus partim ob ignorantiam anatomes, partim ob ferramentorum suorum & cumprimis catheteris teretis ineptitudinem, multos eosque gravissimos atque crassissimos ubique commisisset errores, *Ravivus* Germanus, celebris quondam chirurgus & anatomicus primo Amstelodami, postea Leidæ, errores a *Jacobo*, quem sæpe An. 1699. Amstelodami calculos excindere viderat, commissos probe notaverat, primo catheteri tereti catheterem sulcatum, fere ut in magno apparatu, aliisque ineptioribus instrumentis & cumprimis ductori abscondito alia aptiora substituit, & prout erat, tam in anatomicis quam chirurgicis rebus optime versatus, in loco ad vesicam usque dissecando, calculumque postea extrahendo longe majori cura atque exactitudine, quam monachus ille, servavit, eoque quamplurimos postea ab Anno 1699. ad annum circiter 1720. singulis annis tam feliciter fecit & a calculo liberavit, ut summam propter famam in Belgio, Anglia, Germania & Gallia adeptus sit, & pro optimo ac præstantissimo lithotomo illorum temporum a quamplurimis habitus sit, & quem ipse *D. Præses* per quinquennium fere, quo in Hollandia & Amstelodami potissimum vixit, sæpissime maxima cum dexteritate & promptitudine hanc curationem perficere conspexit; unde primo *Methodus Fratris Jacobi*, præsertim in Gallia, sed in Belgio, Germania & Anglia postea *Raviana* dicta est; nunc vero ab aliquo tempore, postquam Angli & potissimum *Chefeldenus* hunc modum etiam secutus & amplexus, a *Jacobo Douglasio* aliisque *methodus lateralis* appellata est.

Quarta
methodus
apparatus
altus.

21. Quarta denique *methodus* illa est, qua ad vesicam ire student chirurgi in anteriori parte abdominis, mox supra os pubis, ac speciatim in anteriorem, sed inferiorem, quando homo erectus consideratur, corporis vesicæ partem; faciendo scilicet vulnus, postquam vesica aqua vel lacte tepido prius repleta est, per tegumenta communia abdominis, per musculos pyramidales, vel in horum defectu, per inferiorem musculorum abdominis rectorum partem, ubi ossibus pubis inferuntur; vel etiam per interjectam ipsis lineam albam, non per fundum vesicæ, ut varii Galli pessime scribunt ac docent [o], sed in anteriorem & inferiorem corporis vesicæ partem, vulnereque hoc prudenter ampliato, vel digitis vel forcipe, calculos emoliuntur. Hanc operationem jam seculo decimo sexto in Gallia, necessi-

[o] Ac speciatim *Garengeot* in operat, Chir. cap. de alto apparatu, & postea *Fonbertus*, alius novus Chirurg. Paris. postquam gravem hunc *Garengeoti* errorem *D. Præses* in Instit. Chir. cap. de Alto apparatu jam correxerat, ejusque inde metuendum gravissimum mortis periculum tam serio indicaverat.

necessitate quadam coactus, feliciter in puero quodam perfecit *Petrus Francus*, unde, quamvis ipse modum hunc improbaverit & rejecerit, atque pro curatione temeraria atque prorsus fortuita declaraverit, *methodus Francoconiana* dicta est, atque adhuc dicitur; vel & a loco altiori, quo sectio & extractio calculi fit, *apparatus altus*, & *sectio hypogastrica*. Cum itaque ipse auctor methodum hanc suam, qua tamen magnam nominis famam ad hodiernum usque diem sibi acquisiverat, rursus rejecerat, contempta & oblivioni quasi tradita per duo fere integra secula jacuit, done tandem hoc seculo, quo omnes scientiæ adhuc subtilius; quam alias agitatae sunt, *Cel. Jo. Douglassius*, chirurgus Londinensis, eam feliciter rursus tentavit atque uberius excolere coepit, quem & *Cel. Cheseldenus* alique in Anglia, *D. Praeses* vero in Germania, & speciatim hic *Helmstadii* feliciter secutus est, atque sic hi viri primi, quantum cognoscere potui, hanc methodum altam rursus instaurarunt: prout uberius cognosci potest ex ea dissertatione, quam *de alto apparatu* jam anno 1728. hic edidit, itemque ex *Institut. chirurg. suis*, cap. CXLII. *de alto apparatu* [p]. Atque hæc sunt quatuor methodi calculum e vesica excindendi in Europa hætenus celebriores.

22. Haud equidem ignoro fuisse *Ægyptiis methodum* aliquam peculiarem, qua *diuturno flatu* urethram valde dilatare, & calculum per eam educere studuerunt, itemque esse adhuc modum his omnibus recentiorum, quem a *Fouberto* chirurgo Parisino inventore, qui modo §. 21. nominatus est, *Foubertianum* appellant, qui species quoque est methodi lateralis sive *Raviana*, ferramenti potissimum mire immutatis, se distinguens, quibus curationem hanc, meo quidem judicio, adhuc multo magis intricatam ac difficilem, quam omnes sunt reliqui, efficere, vix autem ulla in re ceteros mihi superare videtur. Interea tamen ostendit, calculum adhuc alia ratione, quam hætenus usitatum aut notum erat, e vesica educi posse. Hinc, qui plura de ea scire desiderant, evolvant vel *Kesselringii* dissertationem de hac methodo, quam Halæ anno 1738. edidit, vel ipsius auctoris descriptionem, figuris quamplurimis exornatam, quæ in *Memor. Academ. Chirurg. Paris.* tomo primo p. 650. sqq. continetur [q]. Ita & de aliis adhuc quibusdam mutationibus, quas *Cattus Perchetus* alique hinc inde haud adeo pridem excogitarunt, hic nihil dicam, partim, quia dissertationem meam non nimis prolixam esse volui, partim quia potissimum parvum apparatus, nostris & patrum temporibus adeo contentum, (quem *Cel. Dranius* ne comparatione quidem cum ceteris dignam habuit) cum reliquis tribus comparare ejusque præstantiam pro ingenii modulo, & quod

Alii minus
celebres
modi.

[p] Hunc nuperrime in Gallia etiam exercuisse atque emendasse *Cattum*, Medicum Gallum, (*Le Cat*) *cel. Platnerus* asseverat in *Inst. Chirurg.* quæ nuperrime proderunt Lipsiæ.

[q] In *Foubertii* descriptione desidero, quod sæpius figuræ falsæ citentur, aut litteræ ponantur sive addito numero tabulæ aut figuræ, ita, ut qua in figura res indicata sit investiganda, dubii hæreant lectores.

quod, si ceteris non preferenda, tamen etiam illis haud postponenda, multo minus rejicienda sit, melius nobili exemplo, rationibus & observationibus multis ostendere & evincere volui.

Exemplum notabile.

23. Exemplum vero hoc notabile, ubi hoc anno hic Helmstadii ab Excell. D. *Præside* juvenem magno calculo per plures annos miserime laborantem, per parvum apparatus felici cum successu liberatum atque curatum vidi, est sequens. Mense scilicet Martio hujus anni juvenis annum agens decimum nonum, ex vicino quodam oppido oriundus, huc ad D. *Præsidem* afferebatur, a longo tempore, &, ut mater atque affines referebant, jam ab anno ætatis tertio, misere calculo, ut ex variis signis judicant, excruciat.

Signa calculi præcipua.

24. Hic enim præcipua calculi indicia, quæ *Celsus* [r] & postea plerique alii cum ipso medici proposuerunt, habebat; *urinam difficulter reddebat*, paulatimque interdum etiam sine voluntate destillabat. Eadem arenosa subinde & nonnunquam aut sanguis, aut cruentum, aut *purulentum* aliquid, imo hoc plerumque copiosum, excernebatur, (sicuti, si vitro urinali excipiebatur, conspici poterat) colemque sæpius extendendo dolorem levare studebat, ita, ut præputium duorum fere transversorum digitorum longitudine super glandem superemineret, atque gravitatis quoque sensum in vesica percipiebat, qui cursu omnique motu augebatur. *Dolores* præterea aderant vehementissimi dies noctesque ipsum excruciantes, ita ut ab aliquot annis vix per quartam horæ partem unquam una ferie dormire potuerit; sed potius perpetuo ejulare coactus fuerit: quo factum videtur, ut non solum macilentus fuerit, verum etiam vix majorem staturam, quam plerique juvenes alii anno jam habent duodecimo, quæ quatuor pedes parum superat, acquisiverit.

Quæ vero fallacia.

25. Hæc vero signa omnia, licet simul considerata, ut plurimum calculum satis certo indicent; tamen quia iis solis fidere non possumus, sed symptomata hæc sæpe ab aliis causis oriri possunt, ut *ulcere vesicæ* &c. atque Ill. D. *Præses* quamplurimos habuit ægros, tam pueros, quam adultos, quorum etiam nonnullos apud eum ipse vidi, ubi quamplurimi medici & chirurgi ægros illos certissime calculo laborare crediderunt, qui tamen re vera, ut exploratio curatior docuit, eo non laborarunt. Hinc non tantum *digitis* in anum immisis, in eum inquisivit, ibique *magnum, durum & ponderosum corpus* percepit; verum cum & digiti hic falli possint, fistula quoque ænea, quam catheterem Græci appellant, investigavit, qua in exploratione calculum, præsentibus multis medicinæ studiosis, brevi certissime deprehendit, ut sonus & strepitus five *attritus ejus ad calculum* auribus & manibus percipi manifeste ab omnibus potuerit. Attamen, quod notandum, æger de ingentibus, quos in exploratione hac perciperet, doloribus valde conquestus est, quos etiam vehementibus clamoribus, licet

[r] Libr. 2. cap. VII.

cet æger alias non adeo mollis, sed potius vitæ genere duro ac diuturnis doloribus valde induratus & obfirmatus esset, nobis significaret.

26. Verum hac *unica per catheterem exploratione* D. Præses contentus esse noluit, quia, ut in chirurgicis suis de calculi sectione prælectionibus, exempla nobis retulit, ubi lithotomi vel signis illis generalibus, antea §. 24. prolatis, vel unica tantum facta per digitum aut catheterem exploratione, alio forte orto fridore vel strepitu, decepti fuerint; existimando, se calculum sentire eumque re vera adesse, ægrosque alio morbo laborantes sectioni huic, quæ nunquam sine omni periculo, subjecerint; attamen postea sectione facta, calculum nullum reperiisse, & ægros subinde ex sectione hac obiisse, ac postea in cadaveris sectione nullum calculum in defuncto repertum esse: sicuti cum primis exemplum ejusmodi notabile adhuc recens, quod ante paucos annos Norimbergæ contigit, notatum est.

Unica exploratio haud sufficit.

27. Igitur, ut tanto certior de calculi in vesica hujus ægri præsentia esset, nec facile in cognitione hujus mali, ut alii errarunt, erraret, aut deciperetur, altero die *ipsum iterum per digitum & catheterem visitavit*, ubi calculum, quam manifestissime, sicuti strepitus atque attritus docuerunt, ut in prima exploratione, rursus quam manifestissime una cum præsentibus aliis sensit, ita, ut nullum ejus vel ipsi vel adstantibus medicis & studiosis superesset dubium, præsertim cum etiam iterata exploratione per anum, calculum hunc valde magnum & insignem esse, deprehenderit. Verum tantos rursus, æger in hac per catheterem inquisitione, dolores, licet quam cautissime ac lenissime ab ipso, ut solet, in vesicam immitteretur, & catheter etiam facile intraret, ut æger, se cum calculo suo mori malle, quam ut denuo catheterem in vesicam admitteret, vel ille ipsi immitteretur, inter dolores hos alta ac tremula voce exclamaverit.

Sed repetenda.

28. Et quamvis D. Præses initio & hucusque in animo habuisset, huic juveni calculum methodo Raviana excindere; attamen, quia in hac, sicut in Mariana & laterali, cathetere opus est fulcato in vesicam usque immisso, juvenis vero hic, se propter intensissimos a cathetere perceptos dolores, ut modo dictum est, mori malle, quam catheteris applicationem denuo experiri, asseveraverat, calculum e contrario hunc perinæo admodum vicinum D. Præses sentiebat, conclusit, *se cum parvo apparatu sive antiquo Celsi modo excindere velle*, quem juvenis etiam lubens se admitturum esse, declaravit, si modo illa curva fistula (ita enim appellaverat catheterem) non amplius adhiberetur. Ergo ægro per aliquot dies idoneo victu, ad normam Celsi supra §. 8. indicatam, aptisque medicamentis præparato, sumto postea pridie purgante & aliquot horas ante sectionem *chytere*, d. 20. Martii ipsam curationem sequenti modo perfecit.

Quare in ægro hic parvus apparatus institutus.

29. Mensæ convenientis longitudinis, latitudinis atque altitudinis lucique expositæ D. Præses primo tabulam imponi curavit peculiarem, in extremo, cui æger imponendus, ita sinuatam, sicuti mensa illa quæ in instit. ejus chirurg. Tab. XXVIII. fig. 9. ad lit. B efformata est. Hanc lectulo

Situs ægri.



obtegit, cui æger postea situ horizontali supinus impositus est, pulvinare capiti supposito, ita, ut nates supra sinum illum tabulæ paululum eminent: genua ægro postea flectebantur, ut calcanei utrinque eminentiis illis A A hujus tabulæ inviterentur. Crura tunc a duobus validis ministris, sic ut in Inst. chir. Tab. XXIX. fig. 9. litt. C C indicatur, alligatis prius manibus utrinque mox infra genua ope laqueorum fig. 10. planorum, deducebantur ac firmabantur, sicut Ravius in sua & D. Præses in parvo, magno & laterali apparatu semper solitus est, humerisque a tertio ministro, a tergo ægri stante, probe firmatis: quartus minister alteram manum parti superiori vesicæ imponebat, altera scrotum elevabat, & medicus quemvis sui officii admonebat.

Sectio &
extractio
calculi.

30. Tunc immisis, indice & medio digitis in anum ægri, calculoque ad perinæum, his incurvatis, appropinquato, ita ut calculum eo loco, quem in fig. 1. nostra litt. A. indicat, digitis dextræ in medio perinæo sentiret, *scalpello* [s] *lithotomo* vulgari ope dextræ cutem primo, satis amplo vulnere obliquo, ut *Ægineta* docet, a sinistro latere futuræ perinæi, a litt. B superiori, ad B inferius, ad latus scilicet sinistrum ani inflexit. Deinde explorato iterum ope digiti indicis dextræ vero calculi situ, mox reliquam pinguedinem, & tandem ipsam vesicam [t] ad calculum usque, inter muscolum erectorem sinistrum & urethram sive cervicem vesicæ progrediendo incideret, ut calculi pars anterior fig. 3. A. a præsentibus confici potuerit; id quod intra tempus sexagesimæ horæ partis, sive unius minutæ, ut dicunt, fiebat. Sed cum explorando postea cognosceret, calculum hunc propter insignem suam magnitudinem ac peculiarem ipsius figuram inæqualem, quæ fig. 3. 4. & 5. exhibetur, atque cumprimis eminentiam ejus insignem C & E in fig. 4. & 5. conspicuam, quam posterius habebat, neque solis digitis, neque unco, ex *Celsi* doctrina, rite comprehendi & ejici posse, sicut alias in hac methodo sæpe ac vulgo fieri solet, ut in fig. 2. nostra ad litt. B ostenditur, præsertim cum eminentiæ illæ, quæ in fig. 4. C & G, calculo in latus sinistrum collocato, optime confici possunt, valde obstarent, atque exitum ejus vehementer impedirent, primo vulnus internum scalpello, nodulo instructo, paululum ampliavit, ac

[s] Quali scalpello Hippocratis aut Celsi tempore usi sunt, haud constat; quali *Albucasis*, in libr. 2. cap. LX. ipsius delineatum videri potest; *Bruni* vero & *Guidonis* a *Cauliaco* tempore, qui decimo quarto seculo vixerunt; *cultro rasorio*: unde apparet, scalpellum fere quodcumque acutum ad hanc antiquissimam curandi rationem idoneum esse.

[t] *Celsus* alique ipsum sequentes plerumque tantum cervicem sive collum vesicæ (& non vesicam ipsam) incidendam esse scribunt, sine dubio ob metum, ne vulnus, vesicam ipsam incidendo, lethiferum facerent. Verum vulnera vesicæ hoc in loco non lethifera esse, jam alibi supra ostendimus; & deinde quia calculus ex ipsa vesica, non ex cervice, excindendus est, & usque ad calculum ipsum sectio instituenda, necessum est, ipsam vesicam incidi, alias calculus educi non posset.

ac postea forcipem calculariam, qualis in laterali & magno apparatu usurpari solet, atque in *D. Præsidis* Instit. Chirurg. Tab. XXVIII. fig. 5. representatur, arripuit, alteramque ejus maxillam supra, alteram infra calculum, haud sine multo labore ac difficultate submisit, eisque calculum a parte sua superiori & inferiori, (si supinus æger consideratur) ampliato prius paulisper vulnere vesicæ, per leniter diductas forcipis maxillas, comprehendit, eumque, forcipem cum calculo leniter hinc inde commovendo, feliciter tandem eduxit.

31. Extracto calculo, indice in vesicam immisso investigavit, ac postea etiam specillo, *an forte alius adhuc calculus adesset*. Cum vero nihil invenisset, ægrum, qui forti satis animo sectionem atque extractionem sustinuerat, a vinculis, quibus manus cruribus junctæ erant, liberari jussit, vulnusque, quod non nisi modice sanguinem fundebat, spongia calida a sanguine purgari, eumque sine deligatione in lectum, qui jam antea pro ipso, ut decet, præparatus erat, inferri, ac postea aqua roborante interna & externa illum refocillari curavit. Post aliquod temporis intervallum, postquam vires aliquo modo recollegerat æger, *vulnus demum* non aliter, quam linamentis carptis mollibus & splenio crasso molli obtegi, atque fascia T leniter *deligari jussit*, ne exitus sanguini forte ibidem hærenti vel adhuc effundendo, vel arenulis, vel si quod forte frustulum calculi in extractione ejus recesserit, præcluderetur, utpote in quo multi peccarunt, & forte adhuc peccant; sed ut per vulnus satis apertum libere exire & per urinam commode elui queant. Præscripsit ei postea *emulsionem* roborantem & anodynam, pro sitis ratione & pro meliori peregrinorum, si quæ sint, e vesica expurgatione, illo die & nocte largiter bibendam, a qua etiam hac nocte satis blande, cum antea diu non dormiverat, quievit.

32. Sequentibus octo diebus vulnus non nisi unguento digestivo, linamentis carptis & splenio, aqua calcis cum quarta parte spiritus vini camphorati remixta, adjecto pauxillo cerussæ præparatæ, sine emplastro, bis in die deligatum est, sine forti fasciæ adstrictione: æger pro potu ordinario bibit cerevisiam tenuem, & pro cibo jusculis usus, ac bene sese habuit. Altero octiduo, iisdem remediis & victu atque eodem modo, fascia solum paulo fortius adstricta, vulnus tractatum est, quod bene se purgavit. Tertia vero hebdomade, ubi in vulnere caro succrescere & jam rursus aliquid urinæ per urethram transire cœperat, loco unguenti balsamum copaivæ cum linamentis carptis & emplastro glutinante vulnere adhibitum est, quo rursus etiam in cubiculo ambulare auctoque cibi desiderio vires recuperare cœpit; quibus postea ita cum regimine apto ac diætâ conveniente continuatum, atque Deo benedicente, effectum est, ut quarta hebdomade vulnus omnino coiverit, & perfecte tandem glutinatum fuerit, ita ut per urbem quotidie prodeambulerit, ac postea curatus domum reversus sit. *Calculus*, cujus magnitudo & figura tabula nostra fig. 3. 4. & 5. exhibentur, *quatuor unciarum pondus* habuit.

Quid postea factum.

Quomodo glutinatio instituta.

CAPUT II.

Difficultates, objectiones ac censura parvi apparatus, ejusque vindictio, atque illustratio proponuntur.

An solo
vere insti-
tui queat.

33. **H**Oc negotium haud melius expediri posse existimo, quam si objectiones contra ipsum protulero, ac defectus sive nævos, quos ipsi imputarunt, recensuero, eumque ab iniquis censuris atque objectionibus, quantum rei veritas & virium mearum tenuitas permittent, liberavero. Occasionem forte primam sive præcipuam objectionibus atque iniquis censuris præbuit ipse divinus noster *Celsus*, quando primo verbis suis supra §. 7. prolatis de hac methodo scripsit, quod *non omni tempore* institui possit, *sed solo vere*. Verum quemadmodum in universum pro omnibus gravioribus curationibus chirurgicis ac speciatim etiam pro aliis lithotomiæ methodis plerique medici ac chirurgi prudentes verum tempus pro maxime idoneo judicarunt, ita etiam pro hac *Celsus*, ex communi veterum sententia, verum tempus ceteris haud sine ratione pro gravi & periculosa hac curatione destinavit. Interea tamen fere omnes etiam lithotomiam, præsertim si dolorum atrocitas & virium imminutio aliave necessitas urget, aliis quoque temporibus & cum primis autumno æque bene perfici quoque posse, agnoscunt atque concedunt: imo & hanc *Celsi* methodum hyeme etiam, præsertim in Germania nostra, ubi aptis fornacibus cubicula sive hypocæusta nostra æque temperata reddere possumus, ut in vere vel autumno, atque, si ætate ægros in cubicula collocamus, quæ septentrionem spectant, perfectam veris pulcherrimi temperiem ægris æque ac sanis procurare possumus, sic ut metus *Celsi* nostri aliorumque, qui cum ipso hac in re sentiunt, ac si non alio, quam verno tempore calculi sectio perfici possit, sit nullus, cum revera omni tempore, si necessitas urget, hic institui queat.

An non in
omni æta-
te?

34. Ita (2) existimat *Celsus* calculi sectionem *non in omni ætate fieri posse*; id quod etiam multi recentiores ad hanc methodum vilipendendam, contemnendam, imo prorsus rejiciendam, in medium attulerunt, dicendo, non alios huic curationi ex ipsa *Celsi* doctrina idoneos esse, quam qui inter nonum & decimum quintum ætatis annum versantur: dum *Celsus* ut supra §. 7. videre licet, dixit, in iis tantum corporibus eam exerceri posse, *quæ jam novem annos, nondum quatuordecim excefferunt*; quod spatium temporis tantum est quinque annorum: adeoque nec juniores nec seniores hac curandi ratione a calculo liberari posse.

35. Verum

35. Verum jam multi egregii Medici ac chirurgi notarunt & monuerunt, quod *Celsus* male hic nimis angustos ætatis limites sive cancellos huic curationi adscripserit, adeoque plures mendum hic in textum sive exemplaria manu scripta *Celsi* irrepsisse suspicati sunt, dum veteres jam, ut *Ægineta* [u], *Albucaſis* [x], *Brunus* [y], & *Guido de Cauliaco* [z], Medici duo ex seculo XIII. & XIV. aliique, ut recentiores nunc taceam, hallucinationem *Celsi* correxerunt, atque clare scripserunt, primo pueros novem annis juniores hac methodo optime curari posse, utque frequens experientia testatur, plures trium, quatuor, quinque, sex, septem & octo annorum æque feliciter hac sectione a calculo liberatos fuisse, ac illi, qui inter novem & quindecim fuerunt; atque ipse *D. Præses puero non nisi duos annos cum dimidio nato*, hic *Helmstadii* in plurium conspectu calculum feliciter excidit. Nec rationem video idoneam, quare hæc actio non ante nonum annum perfici queat, dum in hac ætate calculus ad perinæum etiam unico saepe digito, (quod *Ægineta* primum docuit, lib. VI. cap. 60.) adduci atque inde excindi potest.

Affirmatur
& probatur de
tenera ætate.

36. De adultioribus quibusdam, quam qui quatuordecim annos habent, & quidem speciatim, qui perfecte adulti & admodum proceri sunt corporis, res aliter se habet, & profecto hic unicus forte in valde proceris casus esse potest, in quo hac methodo scopum attingere quandoque Medicus vix valebit, quia in valde magnis personis difficulter calculum, dum hic in vesica nimis remotus jacet ab ano, quam, ut eum digitis immixtis arripere, & ad perinæum appellere, adeoque eum parvo apparatu educere, valeamus. Interea tamen licet concedam, dari tam magnos homines, in quibus hæc per scalpellum curationis vix aut difficillime succedat, tamen multi adulti licet vigesimum & trigessimum annum superaverint, hac ratione jam liberati sunt, præsertim quia omnes non sunt tam insignis magnitudinis, ut calculus digitis ad perinæum appellere & excindi hac methodo non possit. Hoc etiam superiore vere, ut rationes & alia exempla nunc taceam, hic totam nostram urbem docuit, ubi variis Medicinæ & Doctoribus & studiosis præsentibus inter quos & ego fui, *D. Præses* juveni, qui novemdecim annos, & sic quatuor annos supra ætatem, quam *Celsus* requirit, habebat, calculum valde insignem, qui, ut supra jam (§. 32.) diximus, quatuor habuit uncias, & in Tab. nostra fig. 3. 4. 5. tribus faciebus ostenditur, parva methodo brevi satis tempore feliciter extraxit.

Probat
etiam de
majori.

37. Hanc veritatem etiam alii & cum primis *Morandus*, unus nunc ex primariis chirurgis Parisiensibus agnovit, in Memor. Acad. Reg. Paris. 1731. atque hanc methodum contra obtrectatores ejus defendit, præsertim si, ut prudenter dicit, res rite instituat, (nam imprudentibus res forte male,

Uberius
confirma-
tur.

Y 3

sicuti

[u] Libr. VI. cap. 60.

[x] Tract. II. cap. 60.

[y] In chirurgia cap. 17.

[z] Tract. VI. ubi de lapidis incisione.



sicuti & in ceteris methodis succedet) imo, si præterea etiam calculus commodam, pro hac curatione in adultis habeat conformationem, qualem egregie habuit calculus hujus nostri juvenis, res tanto melius in adultis succedet, quod, ut clarius incredulis demonstrarem, instituti nostri ratio exigit.

Commoda
calculi
nostri ju-
venis con-
formatio.

38. Si calculus hic fig. 3. qui fere quatuor pollices longus est, cylindricus vel planus vel ovatae aut rotundae fuisset figuræ, & tamen adeo magnus sive longus, difficilior, fateor, & vix commode digitis in ano arripi, atque ad perinæum appellere potuisset. Verum hic calculus a parte posteriori habuit, & adhuc habet insignem prominentiam, quæ conspicitur in fig. 4. C. & fig. 3. E, in dextrum & sinistrum latus conversus, quæ in ægro ante & in sectione partem posteriorem vesicæ occupabat, atque pondere suo quatuor unciarum foveam intestino recto impresserat [a], quam sic duo digiti in anum immitti atque incurvati commode prehendere, calculique extremum inferius, in Tab. nostra fig. 3. A. indicatum, super quo incisio erat instituenda, ad perinæum premere potuerant, ita ut hoc loco scalpello incisio super hoc calculo sufficiens: sine catheteris fulcati ope fieri, & calculus postea per factum vulnus extrahi potuerit.

Extractio
forcipe
ferri de-
buit.

39. Hæc vero extractio solis digitis hoc in casu, licet alias in lævibus & parvis calculis sæpe pro hoc scopo sufficiant, propter nimiam longitudinem atque insignem inæqualitatem hujus calculi fieri non potuerat; neque unco, quo alias calculi minores rotundi, subrotundi & ovati, a superiori parte prehensi satis facile educuntur, ejici potuit, quia hic locum commodum apprehensionis pro unco, in superficie A. fig. 3. non habuit, neque etiam in lateribus, ubi alias subinde ex ipsa Celsi doctrina apte comprehenduntur; unco autem partem inferiorem prominentem (fig. 4. C. aut fig. 5. F.) apprehendere, atque sic extrahere velle, propterea non succedebat, quia calculus sic versus ossa pubis pressus fuisset, ubi angulus nimis parvus & renixus nimis magnus est, quam ut ejici potuisset. Adeoque tertium instrumentum parvi apparatus, forcipem nimirum qualem Tab. XXVIII. fig. 5. delineavit D. Praeses, sumebat, eam ope digitorum manus sinistrae sine ullo ductore in vesicam caute immittebat, calculum a parte inferiore & superiore, ut supra dixi, (§. 30.) prehendebat, eumque sic educere. Unde manifestum est, quod, quotiescunque calculus ejusmodi figuram in adulto minoris, imo & majoris staturæ habeat, ob quam digitis prehendi, atque ad perinæum in tantum, quantum opus est, adduci queat, parva methodo, si modo res rite instituat, etiam educi queat, atque sic methodus parvi apparatus locum habeat.

Parvo ap-
paratu
calculi in
adultis sæ-
pe etiam
educi pos-
sunt.

40. Præterea in multis adultis calculus parvo apparatu sæpe excindi potest, quia D. Praeses plures observavit adultos, imo plerisque, qui a juvenile calculis afflicti fuerunt, sicuti etiam ille fuit, de quo hic potissimum egimus, parvæ esse staturæ. Dum enim hi ægri adhuc pueri calculo corripuntur

[a] Conf. D. Praesid. Instit. Chirurg. Tab. XXIX. fig. 1. M.

untur; ob vehementes inde excitatos dolores dies noctesque ipsos excruciantes, parum aut vix dormire, vel saltem placido somno frui non potuerunt, quo, ut notum est, impediuntur digestiones, iisque impeditis incrementum etiam corporis. Adeoque hanc unicam ob causam adulti multi, sub quibus hic intelligo eos, qui annos a *Celso* sectioni aptos excefferunt, parvi manent, methodo *Celsiana* sive parvo apparatu, quem defendendum suscepi, comode contra vulgarem opinionem, curari possunt, atque hæc curatio ob auctoritatem & præjudicatam ejus sententiam, quasi seniores a calculi tormentis sectione liberari non possent, si nihil aliud, quam ætas major obstat, haud est intermittenda, neque ægri hi miseri in miseria sua sunt relinquendi, quemadmodum Ill. D. *Præses* in hoc ægro & aliis similibus fecit.

41. Posthæc carpunt quidam in hac methodo, quod Chirurgus facile *intestinum rectum ægri* & *digitos suos* scalpello lædere possit. Verum *intestinum rectum*, una cum digitis in hac curatione sunt post calculum & vesicam; sectio vero fit in parte calculi anteriori; ita, ut tam facile, qui valde a se invicem remoti sunt, lædi nequeant. Præterea illud facile lædi posse in laterali sectione, quam plerique tamen hodie pro optima methodo proclamant, omnes fere illi, qui de sectione laterali scripserunt, indicant, atque præcepta tradunt, quomodo hoc evitandum. Sed hanc tamen ob causam hanc methodum non contemnunt aut rejiciunt, si modo Chirurgus operam det, ut hujus intestini læsionem evitet. Igitur & hac in methodo Chirurgus cura adhibenda est, ne vel *intestinum hoc* vel *digitos suos*, lædat; id quod fieri apte potest, si sectionem accurate super calculo ad perinæum leniter presso instituat, & non *intestinum rectum* usque scalpello descendat; qua unica cautione etiam digitorum vulneratio præcavetur, hocque tanto magis, quia *hoc intestinum* & *digiti in sectione sunt in parte calculi posteriori*, sectio vero *in parte vesicæ* & *calculi fit interiori*, adeoque inde tam remota, ut vix, nisi valde incautus, *intestinum rectum* vel *digitos* lædere possit. Imo si etiam forte aliquando ex incuria, vel alia peculiari causa leviter læderentur, forte periculum hujus rei non erit tantum, ut integra methodus, qua tot mille homines intra bis vel ter mille annos curati sunt, sit rejicienda. Nam a tam levi vulnere digitorum nullus, credo, facile morietur, atque intestini recti valde crassi & carnosus vulnusculum, si incideret, facilius forte rursus glutinabitur, quam magnum vesicæ vulnus; quod tamen tam sæpe satis brevi tempore, tam in hoc, quam laterali & alto apparatu rursus coit, neque adhuc apud ullum, qui de hoc argumento egit, scriptorem, legi, quod ex hujus partis levi læsione (nam magna non, nisi ab imprudenti & temerario prorsus Chirurgus metuenda est, a quibus, ejusmodi læsio in laterali quoque fieri potest) mors aliudve grave malum inductum sit; & si in sectis nonnullis a fratre *Jacobo* *intestinum hoc* vulneratum deprehensum sit; tamen demonstrari forte haud poterit, quod ab hoc vulnere illi mortui sint, sed mors illa multis aliis gravibus erroribus & vesicæ læsionibus, quas hic *Monachus* sæpe simul

Objicitur
rectum &
digitos fa-
cile lædi
in hac me-
thodo.

com-



commisit [b], & varii scriptores notarunt, facilius adscribi poterit, cum fallacia causæ facile hic committi possit [c].

Situs æ-
grorum
Celsi in-
commo-
dus.

42. *Situs* etiam, quem *Celsus* descripsit, pro adolescentibus robustiori-
bus supra (§. 9.) indicatus, ubi duo homines cum duobus fedilibus colli-
gandi, in quorum medio curandus est ponendus, carpi quoque potest, tan-
quam *valde incommodus ac molestus*; id quod lubens concedo, nec *Celsum*,
ubi non meretur, laudo. Verum cum alii longe commodiores & aptiores
hodie noti sint *situs*, & quidem vel ille, qui in *D. Præsidis* Inst. Chirurg.
Tab. XXIX. fig. 4. & apud alios delineatus est, vel & simplicissimus ille *Ra-
vii* & *D. Præsidis*, quem supra jam (§. 29.) laudavimus, ubi ægri horizon-
tali situ super mensam collocantur, illi commodissime substitui potest, quæ
ceteroquin etiam cum nobili hujus methodi simplicitate optime congruit; vel
& ille, qui pro pueris Tab. XXVIII. fig. 1. Inst. Chir. repræsentatus est.
Quare eam ob causam methodus *Celsiana* minime vel contemnenda vel re-
jicienda est, quia ejusmodi res in ea, pro arbitrio vel consuetudine curantis,
emendare vel mutare possumus, sicut lateralis modus jam a variis emendatus
& mutatus est.

Celsus
certa cal-
culi indicia
non dedit.

43. Pro vitio etiam vel defectu *Celso* haberi potest, quod, cum cognitio
calculi certa, ut supra jam dictum est, (§. 5.) adeo sit difficilis, *ipsius*
nulla instrumenta sive catheteres, qui tamen certissimum calculi indicium præbent,
pro hoc scopo *indicaverit* aut *commendaverit*; sed solum signa communia
medica supra quoque jam (§. 24.) prolata, in medium protulerit; quæ vero
omnia symptomata in inflammatione, ulcere, vel caruncula, aliisque vesicæ
malis quoque adsunt: imo *ne quidem digitum pro calculo cognoscendo usurpan-
dum esse*, præceperit. Ad hanc objectionem respondeo, quod hoc re vera
pro defectu quodam in *Celso* ratione certæ calculi cognitionis habendum sit,
(cum errores *Celsi* minime defendendos sed defectus supplendos suscepimus)
præsertim *cum catheteres*, aut æneas fistulas, ut ipso appellat, *haud ignora-
verit*, sed in urinæ reddendæ difficultate his ipsis urinam e vesica evacuan-
dam libr. VII. cap. 26. §. 1. clare docuerit. Hinc mirandum, quod non etiam
catheteres pro calculis vesicæ explorandis adhiberi jusserit, cum sine hoc cetera
signa omnia sint fallacia. Verum patere ex his potest, *veteres hunc cathete-
ris usum adhuc ignorasse*. Interea tamen, quia hic defectus a recentioribus jam
diu suppletus est, isque non ipsius methodi, sed solum diagnoseos fuit, parvi
apparatus præstantiam imminuere nequit.

Fortiori
calculi
pressione
noxas ori-
ri posse.

44. Porro multi perhibent, quod, quia *Celsus* monet, leniter agendum
esse digitis, quando calculum, ad perinæum premere studet Chirurgus, fa-
cile a nimis dura vesica contra calculum pressione, præsertim si asper est, gra-
ves possint induci ejus lesiones. Quod quidem facile concedo. Verum sicuti in
ceteris

[b] Conf. *Præsidis* chirurg. Instit. p. 958. & quos ibi citavit, *Meryus*, *Lischerus*; *Launay*, *Saviardus Dionysius*, aliique.

[c] Nam in fistulis ani rectum incisum facile rursus coit.

ceteris methodis omnia debita prudentia & lenitate fieri debent a Chirurgo, nihilque nimia violentia aut crudelitate, ita & in hac id est observandum, ut mala alias inde oriunda avertamus.

45. *Garegeot* deinde in operat. Chirurg. tom. II. artic. VII. cum aliis quibusdam parvi apparatus hostibus admodum inconsiderate scripsit, *parvum apparatus non fuisse magnæ utilitatis apud priscos, ubi infantes soli fuissent, in quibus tentari potuisset, & in quibus successus fuissent valde rari; nam quando calculus magnitudinem nucis avellana excessisset, hoc obstaculum pro eo extrahendo fuisse invincibile, quoniam tunc aut nimis parva aut nimis magna inciso fuisset facta.* Ipsa ejus verba Gallice ita se habent: *pour parler des premiers avantages de cette operation, nous avons lieu de croire, qu'elle n'a pas eu de grands succès dans l'antiquité la plus reculée, où les enfans étoient les seuls sur qui on pouvoit la tenter, & dont les réussites étoient très rares; car pour peu que la pierre excédât la grosseur d'une aveline, c'étoit un obstacle invincible à sa sortie, tant l'incision qu'on faisoit alors étoit petite, ou mal entendue [d].*

Garegeot
objectiones.

46. Verum hæc objectiones & conjectura hujus viri omnes falsa sunt, & si veteres evolvisset, rem aliter dicere facile potuisset. Primo enim nullus est veterum scriptorum, qui dicat, *solos infantes hac methodo secandos esse, vel secari posse, sed potius contrarium statuunt.* Nam *Celsus* unus ex antiquissimis scriptoribus medicis, *infantes potius a curatione hac exclusit, & non nisi pueros & juvenes, ab anno decimo ad decimum quintum, huic curationi idoneos judicavit.* Quod vero præceptum *Celsi Aegineta*, ut pag. 14. diximus, jam correxit, atque præter juvenes & pueros non solum etiam infantes secari feliciter posse docuit, sed & adultos, atque seniores tantum junioribus difficilius curari asseveravit, sicut hoc etiam in ceteris methodis verum est. Quam sententiam postea *Avicenna, Albucasis, Brunus*, alique Chirurgi quamplurimi secuti sunt, atque retinuerunt. Neque *Guido de Cauliaco*, celebris apud Gallos Doctor [e], qui pro norma Parisiis illis fervire solet, qui in arte Chirurgica Magistri fieri volunt [f], ullam ætatem exclusit.

Refutatur
primo ratione ætatis.

47. *Successus hujus methodi bonos, ut Garegeot perhibet, fuisse valde raros, haud probavit, & vix ullo probato auctore veteri unquam evincere poterit.* Et fingamus, rem etiam antiquis temporibus ita fuisse, hoc profecto non tam huic methodo, quam minus cautis vel imperitis Chirurgis esset adscribendum, qui non satis accurate eam perfecerunt; cum ea hodie optime succedat, si modo a prudentibus perficiatur Chirurgis, sicut D. *Præsidis* aliaque

Ratione
successus
& calculi
magnitudinis.

[d] Videtur mihi ac si *Garegeot* hic pro *entendue* scribere voluisset aut debuisset, *entendue*, sicuti etiam hoc vocabulum latine eo modo transtuli.

[e] In chirurg. ejus Tract. VI. de lapidis incisione.

[f] Vid. Lib. cujus inscriptio est: *Le Maître en Chirurgie, ou l'Abregé complet de la Chirurgie de Guy de Cauliac*, par Demandes & Reponses en la maniere, qu'on interroge les Aspirans à St. Cosme. à Paris 1716. 8.

Tom. IV.

Z

haque exempla probant. Porro, quod calculi magnitudinem avellanae excedentes obstaculum efficiant invincibile, tam falsum est, quam quod falsissimum, & praeter alia innumera exempla calculus hic a me fig. 3. 4. & 5, delineatus, atque feliciter a D. Praefide adhuc haud adeo pridem extractus, ægerque brevi rursus curatus, contrarium docere possunt: qui avellanam multoties magnitudine superat.

An veteres vulnus nimis angustum fecerint? 48. Præterea, quod *Garengoot* scribit, veteres tam exiguum vulnus fecisse, ut non nisi calculum exiguum extrahere potuissent, quoque falsissimum est. Nam si quis modo legit, quæ supra §. 12. ex *Celso* adduximus, inveniet, eum non iussisse, ut parva fiat plaga, sed potius ut major, quam calculus sit. Idem docet *Ægineta* libr. VI. cap. 60. Imo *Albucasis* vulnus amplissimum faciendum esse præcepit, Part. II. cap. 60. dum dicit; *finde scalpello, quod est inter anum & testiculos*: quod profecto vulnus non est parvum, sed longe majus, quam fere omnes boni Chirurghi in magno & laterali modo perficiendo faciunt, & postea addit, ut adhuc post vulnus sectio fiat transversa, ut sectio exterius sit ampla: qua vulnus longe maximum factum est, ita, ut absque difficultate calculos sepe egredi referat, quod profecto, si vulnus adeo exiguum, haud fieret. Ita etiam *Ægineta* & *Albucasis*, loc. cit. itemque *Brunus* libr. II. cap. 17. docent, quod operatio hæc, ubi calculus major, facilius sit, quam ubi est parvus: quod falsum esset, nisi magnam satis plagam fecissent. Interea tamen eos ipsam nimis magnam fecisse, quoque non probavit, præsertim cum *Chefeldenus* & *Douglaffius* alique recentiores vulnus in laterali, quæ filia est parvi, valde amplum commendent, & angustiori multum præferant. Hinc mirandum, quomodo *Garengoot* tam proterve adeo falsa contra clara hac de re veterum verba & mentem de iis proferre, eosque tam impudenter traducere potuerit. Sed sicuti ex historia & fatis *Ravii* patet, qua tam falsa de eo protulit, quæ D. Praefes in Inst. Chirurg. indicavit & refutavit; ita etiam hoc ex his manifestum est, illum res non satis accurate pervestigare.

Modum Celsi non esse tantum modum histri- onum. 49. Sunt denique etiam, qui, quando de parvo apparatu abjecte loqui & scribere volunt, dicunt, eum esse illum modum, quo histriones & circumforanei tantum uterentur; veros autem & genuinos Medicos ac Chirurgos haud decere, adeo vulgarem, obsoletam, abjectam ac simplicem methodum; sed recentiores Chirurgos magis exultas, artificiosas atque ingeniosas usurpare secandi rationes, quæ copia & nitore ferramentorum arti splendorem conciliarent, atque admirationem vulgi imo magnatum ac procerum insignem excitarent. Verum ad ejusmodi vanitates ac ludibria, viri boni, qui salutem ægrorum magis quam vanam vulgi gloriolam quærunt, haud respicere, sed optimum in scientiis & artibus investigare atque eruere debent: & quamvis etiam histriones hoc curandi modo quoque utantur, priscam simplicitatem instrumentorum copix ac pompæ præferre, utpote quæ magis histrionem arguit, quam genuinum Medicum sive Hippocratis filium. Nam si solo scalpello, vel etiam interdum addito unco, aut forcipe calculus eque-
beite,

bene, æque cito & tuto, imo & minori cum dolore (dum catheteres sæpe ingentes dolores (§. 27. 28.) atque interdum graves urethræ & vesicæ læsiones & alia mala haud raro excitarunt.) e vesica promoveri potest, quid opus tanto apparatu, tanta instrumentorum horrificorum farragine, quæ ægris sæpe mortis terrorem incutiunt, tantoque majori periculo, de quo modo & alibi dixi, calculo laborantes exponere? nisi peculiaris ratio aut necessitas hoc urgeat, aliamque methodum exposcat.

§0. Tandem gravis objectio est, quod calculi *inaequales, asperi, aculeati*, vel, ut ipse Celsus supra §. II. loquitur, *spinosi*, Celsi methodo vix, aut saltem difficillime excindi queant; primo quia ejusmodi calculi, si *versus perineum* paulo fortius *premerentur*, ut in actu sectionis hujus methodi fieri debet, pungendo suis spinis vel aculeis, *vesicam convulnerarent*, eoque dolores ægris ingentes & intolerabiles concitarent; ac deinde, quia super tam *inaequali ac spinoso calculo integra ac perfecta incisio vesicæ fieri non posset*, sed necesse esset, ut fibræ aut partes quædam vesicæ aculeis sive spinis interjectæ manerent integræ; quæ, si calculum quis emoliretur, summos cruciatus, nervorum distentiones & mortem ægris induceret: adeoque *ejusmodi calculos nullo modo* hac curandi ratione esse extrahendos, Celsum etiam ipsum testari (ut supra §. 15. ex eo adduximus) *quod hi calculi non tuto conquirantur*, vel attrahantur, quoniam, *ubi vesicam convulnerarunt*, ex distentione nervorum mortem maturent, multoque magis, si spina aliqua vesicæ inhæreat. *Signa* quoque, ad quæ attendere debeat Medicus, ibidem dedit, ut ejusmodi calculum, antequam sectionem instituat, cognoscere, atque sic difficilem, periculofam aut prorsus mortiferam incisionem evitare, vel cautius instituire discat.

Objectio
de calculis
spinosis.

§1. Quamvis equidem Celsus prædicto loco asseveret, quod *calculi spinosi*, *si per se*, (hoc est sponte) *in cervicem vesicæ delapsi sint*, sine ullo periculo *eximantur*. & periculum tantum in his adeste, si conquirendi, atque digitis versus cervicem attrahendi sint [g], & quamvis etiam *modum describat*, quomodo *ejusmodi calculi excindi possint*, & qua ratione *Megetes*, egregius olim Lithotomus, hos exciderit; tamen, quando tactu aliisve indiciis pateret, calculum valde spinosum adeste, id quod tamen satis raro contingere solet, suadet potius D. Præses alia ratione ejusmodi calculos eximere; *verum non magno apparatu*, quippe in quo hi calculi cervicem vesicæ & vesicam ipsam adhuc

Responso.

[g] *Cervicis vesicæ nomine Celsus*, ex D. Præsidis sententia, minime intelligere potest, quod hodie Anatomici vulgo sub *cervicis vel co'li vesicæ nomine* intelligere solent, nimirum initium urethræ prope vesicam, quod glandula prostatica & sphinctere vesicæ cinctum est; (vid. D. Præf. Inst. Chir. Tab. XIX. fig. 1. litt. I. K.) quia in tam angustam partem calculus nullus magnus, multo minus spinosus, neque sponte delabi, neque digitis impelli potest; sed potius pars inferior vesicæ L. M. circa quam calculi percipi, atque etiam parvo apparatu excindi solent.

adhuc longe vehementius dilacerarent, sed *vel alto apparatu, vel laterali, tanquam vera*, ut supra jam dixi, *filia apparatus nostri parvi*, quicquid etiam nonnulli hic obgantiant.

Lateralis
est filia
parvi.

Esse vero *apparatum lateralem filiam parvi*, hoc est, illum huic ortum debere, variis argumentis probari satis potest. Nam primo *incisio in laterali eodem fit in perinei loco*, quam in parvo. Deinde progreditur *scalpello per eandem viam* ad cervicem & ipsam vesicam, sicut in parvo, nimirum inter musculum erectorem sinistrum & bulbum urethrae atque glandulam prostatam, usque ad vesicam illa urethra, quemadmodum *Merius* ex cadaveribus hoc notavit a fratre *Jacobo* sectis [b], ea solum cum differentia, ut in parvo apparatu *incisio fiat solo scalpello super calculo*, atque *extractio saepe solis digitis*, aut quandoque unco vel *forcipe*, sine aliis ferramentis, in laterali vero incisio vesicae fit ope catheteris; extractio vero mediante ductore sive itinerario uno aut pluribus, itemque forcipibus, aliisque, pro varia Medici sententia & arbitrio, ferramentis, quibus tamen subinde adhuc uncus aliave ferramenta adjungenda. Qua in re mecum consentiunt scriptores quamplurimi [i] quo & ipse *Ravius* referri potest, qui de methodo sua quaesitus, saepe respondit: *legite Celsum*. Quibus verbis nihil aliud, ut mihi saltem videtur, indicare voluit, quam quod per eandem illam viam scalpello ad vesicam intret, per quam *Celsus* intrandum esse docuit: atque hanc longe meliorem esse indicavit, quam ea, quae in magno apparatu suo tempore omnibus fere Chirurgis usitata erat, quos his verbis corrigere studuit.

C A P U T I I I.

De praestantia parvi apparatus.

Praestantia
hujus
methodi
ab anti-
quitate.

§3. **U**T vero praestantiam & commoda antiquissima nostrae methodi, quae ex praemissis quivis fere jam per se intelligit, speciatim ostendamus, ceteras quidem nullo modo rejicere; sed cuius suum usum relinquere volumus. Sed dicimus hic primo, quod antiquitate omnes reliquas quam longissime superet; id quod nemo nobis negabit, cum jam ex supra dictis §. 2. & 3. constet, ante *Hippocratem* & forte jam per plura secula, ante ipsum, atque sic forte a ter, vel minimum bis mille annis, in usu fuerit.

(2.) A copia
curatorum.

§d. (2.) Quod verisimile sit, intra tot mille annos longe majorem copiam aegrorum a calculo hac esse curam, quam ulla ceterarum, quae per breve tantum tempus adhuc durarunt, & sic nobilitatem suam a paucis demum annis, si cum Hippocratica & Celsica sive Celsiana nostra conferantur, deducere possunt. Adeoque longe plura & majora habet merita, tanquam sincerus

[b] In libro ejus, qui inscribitur, maniere de tailler p. 49. & sq.

[i] Ut *Douglas*, *Chefeldenus*, *Falconetus*, *Sbarpe* aliique.

rus atque antiquissimus hac in re Medicinæ minister, quem haud facile e civitate, vel republica medica, ob tanta in se merita, & levem forte aliquem, qui corrigi potest, defectum, contemnere aut ejicere debemus.

55. (3) *Simplicitate* nobili omnes reliquas superat: dum haud raro (3) A simplicitate nobili. solo scalpello, eoque admodum simplici, facileque parabili & ubique fere reperiundo, perfici potest, si modo satis sit scindens vel acutum, & chirurgus, quid eo hic sit faciendum, rite sciat; id quod ex eo dijudicari potest, quod *Albucasis* pro hoc scopo tract. II. cap. 60. delineaverit, quod quibusdam scalpellis, quibus pennas anserinas ad scribendum adaptamus, non multum est dissimile, & quod a recentissimis quibusdam scriptoribus nunc commendatur, delineatumque conspici potest in *D. Praesidis* Inst. Chir. tab. XXXI. fig. 8. & 18. ubi hi recentiores ad antiquissimam illam simplicitatem, magno judicio & graves ob rationes, in multorum ægrorum salutem, redire mihi videntur. Vel & scalpello rasorio usi sunt *Bruni* & *Guidonis* temporibus (ut supra jam §. 30. dixi) atque diu adhuc postea, repudiatis illis valde artificialibus, non nisi a præstantissimis artificibus ferrariis parandis, quæ ubique haberi non possunt; (qualia in *D. Praesidis* Inst. Chir. tab. XXVII. fig. 8. & Tab. XXXI. fig. 16. quoque exhibentur) quam ob rem haud raro ægri, præsertim pauperes, perire possunt, qui vulgari quodam ejusmodi scalpello, vel a mediocri etiam chirurgo sæpe a calculo ejusque gravissimis cruciatibus curari potuissent. Atque verisimile mihi est, vetustissimos medicos *Hippocratis* & *Celsi* & *Egineta* temporibus non nisi scalpellis vulgatissimis ac simplicissimis usos fuisse; cum nullam peculiarem eorum figuram indicent, aut describant; quod alias *Celsus* sæpe facit: quo ipso mihi significasse videntur, quod perinde tunc ipsis fuerit, utrum hanc vel illam figuram obtinuerit, sive rasorium sit, sive ad pennas scriptorias parandas aliove in usus mechanicos confectum, si modo fuerit scalpellum bene scindens, quo partes inter cutem & calculum in vesica rite discindi potuerunt, similibusque scalpellis sine dubio ingens ægrorum copia a calculo liberata est, ubi magis artificiosis homines erant destituti; id quod in ceteris magis artificiosis magisque compositis modis tam apte perfici non potest. Qua igitur in re magna hujus methodi præ ceteris magis artificialibus consistit præstantia.

56. Heu! quantum alias extollunt nostri chirurgi, quando *curationem* Simpli-
aliquam gravem ac difficilem, verbi gratia herniam quandam incarceratam, tas lauda-
fistulam ani, lacrymalem, aliasque quamplurimas simpliciori modo, quam tur alias a
antiquiores, perficere invenerunt, vel saltem aliquando perfecerunt. Heu! plerisque.
quantum, & merito quidem, extollunt artis obstetricandi magistri, quan-
do foetum in utero male situm in partu solis manibus, sine uncis aliisve fer-
ramentis horribicis, eduxerunt; qua de re vel *Deventeri* solum titulus sui
libri, quam de hac arte scripsit, itemque *Mottii* & *Hornii* Sueci, aliorum-
que libri videri possunt. Cum itaque hanc simplicitatem in hisce aliisve ma-
lis adeo laudent ac probent medici atque chirurgi quamplurimi prudentes,

cur idem non faciant in arte æque utili ac necessaria calculum e vesica extrahendi, ubi similis mihi ratio videtur, causam idoneam non video.

Quando-
que unco
aut forci-
pe opus
est.

57. Attamen solum scalpellum, cum non sufficiat, si calculus forte major est, & solis digitis ejici nequeat, antiquissimi, ut *Celsus*, *Ægineta*, *Albucasis* aliique ad calculum ejiciendum, non nisi unco usi sunt, nulliusque forcipis adhuc mentionem fecerunt. Interea tamen, quia prudentiores postea viderunt, uncum non semper sufficere, præsertim in calculis majoribus, sicut etiam in nostro supra recensito casu contigit, præter scalpellum, ad calculum protrahendum, forcipem quoque adhibere cœperunt, ita, ut tamen plerumque non nisi duobus instrumentis, scalpello scilicet & unco, vel scalpello & forcipe usi sint. *Magnus* contra & *lateralis apparatus*, imo & *Foubertianus*, *Cattianus* [k] aliique recentiores tam ingentem instrumentorum copiam, tam generatim quam speciatim, pro quavis hominum ætate vel magnitudine requirunt, ut quamplurimi chirurgi, ob nervi rerum gerendarum defectum, ea sibi comparare non possint, & multo minus, quomodo, aut qua ratione, quove tempore omnibus iis recte uti queant vel debeant, rite addiscere; cum contra in antiquissima nostra curandi via, idem scalpellum, idem uncus, eademque fere forceps, in omni ætate & magnitudine ægrorum, sufficere queant.

Optima
ubi cathete-
ter immitti
requirit.

58. Porro antiquissima nostra methodus tam insignis, tam efficax, imo tam utilis est, iis in casibus, ubi propter impedimentum aliquod in itinere urinæ nullus catheter in vesicam demitti potest, quorum quamplurima esse possunt: ut inflammatio cervicis vesicæ, nimia ejus coarctatio a cicatrice, abcessu, vel caruncula, exulceratio, & nimii inde orti dolores, quales casus a multis scriptoribus jam notati sunt, ubi hoc fieri non potuit [l]. Similis casus etiam in eo ægro fuit, cujus notabilem curationem a *D. Præsidi* peractam in hac dissertatione supra §. 23. & sq. descripsimus; ita, ut æger ille neque apparatu magno, neque laterali curari & a calculo suo perquam magno liberari potuisset; sed parvo hoc apparatu, solo scilicet scalpello & forcipe, optime curatus est. Itaque ex his patet, quod hic modus in ejusmodi casibus manifeste apparatu magno & laterali præferat, iisque ex necessitate præferendus sit: id quod etiam a prudentibus defensoribus harum methodorum non negatur, sed plane conceditur.

Ergo & a-
tis in casu
bus recte
adhibetur.

59. Si itaque in ejusmodi casibus utilis est, & ut experientia frequens tam multis ab *Hippocratis* tempore hinc inde in Europa, ac speciatim etiam in eis, qui a *D. Præsidi* ita secti sunt, demonstravit, profuit, eaque ægri curati sunt, cur non etiam in plerisque aliis casibus, ubi lithotomi hodierni plerique alterutram illarum magis intricatarum, majoribusque doloribus ac periculis obnoxiarum methodorum, adhibere solent, utilis erit?

Præsertim
parvis
personis.

60. Præterea etiam *Celsiana* methodus apte in plerisque calculo laborantibus

[k] In notis Fayi ad oper. chirurg. Dionisii pag. m. 250.

[l] Conf. *D. Præs.* Inst. Chirurg. p. 948. s. oper. 147. §. 14.

tibus propterea *adhiberi potest*, quia plerique, qui de calculo scripserunt, hanc *infantibus, pueris & adolescentibus apte adhiberi posse, agnoscunt*, & plerumque adultos solum sive *seniores* excipiunt. Cum vero etiam in confesso sit omnium peritorum, *longe plures pueros & juvenes*, nondum plane adultos, *calculo vesicae laborare*, quam senes, atque in Gallia, Magna Britannia, Hollandia & ubique locorum, ubi calculus frequens [m], singulis annis longe plures pueros, quam adultos & senes secari, ita, ut fere viginti pueri secandi occurrant, quando vix unus senex. Sequitur vero inde, in calculosis quamplurimis hanc methodum valere, atque adhiberi posse, praesertim si boni medici aut chirurgi, in illis imprimis locis, ubi calculus morbus frequens & quasi endemicus est, ut sunt regiones modo nominatae, tam diligenter in hac rite perficienda animum meditationesque suas intenderent, (dum nondum legi, quod vel *Douglasius*, vel *Chefeldenius*, vel *Morandus*, vel *Dranus*, aliusve celebriorum chirurgorum hodiernorum vel unicum cum parvo apparatu experimentum instituerit) tunc sperarem, hunc modum ad tantam perfectionem brevi perenturam esse, ut omnes simplicitate, promptitudine & securitate sit superaturus; quod vero, quantum constat, magni lithotomi hucusque nondum fecerunt.

61. In magno apparatu & laterali haud raro *catheteribus & ductoribus vesicae graviter lesa*, imo omnino in ventrem usque perforata est, ob quas laesiones aegri mortui, sicuti *Toletus* [n], *Saviard* [o], *Garengeot* [p], & alii hoc testantur; quia vero his in *parvo apparatu non opus est*, cognoscitur inde quam manifestissime, quod hanc ob rem & majori & laterali apparatu nos ter minus laedere possit, adeoque iis plerumque praefertendus sit: id quod etiam in commodum hujus methodi referri potest, quod *non nisi raro*, ubi calculi sunt vel valde magni vel deformes, *forcipe indigenus*, utpote, quibus saepe in ceteris methodis & cum primis in Mariana, vesica comprehenditur eaque vel vehementer convelli vel valde lacerari, aut prorsus evelli solet; quae vero mala a parvo apparatu haud facile, aut prorsus non sunt pertimescenda.

Catheteribus & ductoribus hic nihil laedere possumus.

62. In methodo Mariana & laterali saepe difficulter *catheter in vesicam* commoda varia praefertenda Mariana & laterali.

[m] *Sbarpius* Chirurgus novus Anglus, in oper. Chir. suis initio cap. XVI. putat, *calculum* ubique esse adeo frequentem morbum, quam in Gallia & patria sua; sed multum hic fallitur: dum in Germania aliisque magis borealibus regionibus sit morbus rarissimus. Id quod *D. Preses* in Instit. Chirurg. suis jam diu indicavit, & quod spatio viginti miliarium germanicorum vix unus, in regionibus & urbibus etiam maxime populosis, quovis anno deprehendatur. Imo *Celeber. Werbofius* haud pridem ad *D. Praesidem* scripsit, se intra viginti annos, quibus Medicinam Hanoverae & in vicinis regionibus Brunsvicensibus, Lunenburgensibus & Hildesiensibus, sive in tota Saxonia inferiore, facit, nullum adhuc calculo vesicae laborantem vidisse.

[n] Libr. de lithotomia cap. XIII.

[o] Vid. ejus obs. 37.

[p] Oper. Chir. Tom. I. edit. I. cap. de lithot. p. 352.



demittitur, postea sæpe difficulter in vesica scalpello deprehenditur [q]; longe adhuc difficilior *fulcus catheteris ductore sive itinerario invenitur*; ita ut scriptores plures cautiones dent, quæ, ut reperitur, sedulo sint observandæ: inventoque tandem fulco, difficile est, forcipem, præsertim in Mariana, per angustum urinæ & cervicis iter in vesicam deducere, ubi sæpe in devia illam cum magno curandi damno abire a variis notatum est. Sed multo adhuc difficilior postea sæpe est, *calculus*, præsertim paulo majorem aut asperum, *rite prehendere* & per tam angustas vias sine noxa extrahere. In Celsiana vero, facta plaga satis ampla super calculo, omnibus fere illis turbis ac laboribus, qui ob ferramenta illa multa recte immitenda & adhibenda requiruntur, haud opus est; sed vel calculus sola ope digitorum mox ejicitur, vel si hi parum sunt, facilius longe per plagam amplam uncus vel forceps brevi via in patefactam vesicam immitti, & calculus eis educi potest. *Heu quantum in Celsianam laborum ac dolorum est compendium!* Quot devia, quæ læsiones & dolores hic non evitantur, si mox super calculo, intacta urethra & cervice, vesica aperitur, in qua nullus catheter, nullus fulcus hic est querendus, nullus ductor per has angustias intrudendus: quibus omnibus variæ partes cum periculo lædi & gravia mala iis induci possunt. In Celsica vero, ubi ex prudenti *Celsi* doctrina *incisio fieri debet calculo amplior*, necessarium ferramentum per eam, si opus est, sine cathetere & ductoribus facile immitti, & calculus sine læsione cervicis & urethræ facilius ejici potest.

Calculus 63. In hac methodo etiam optime, saltem longe melius quam in magno apparatus, *digitis verum situm & figuram calculi*, itemque utrum *unus*, an *plures in vesica* hæreant, in ipsa operatione explorare & cognoscere, atque inde tanto melius, qua ratione commodissime comprehendendi atque extrahendi queant, dijudicare possumus; quemadmodum in hac a nobis §. 23. & seq. descripta administratione cognitu facile erat; quia patefacta, per incisionem, vesica, *calculus oculis usque pari* (aspice figuram nostram secundam B B) ejusque habitus ac conformatio digito, juxta calculum in vesicam immisso, pervestigari poterat, in quod in magno apparatus fieri nequit. In laterali quidem aliquo modo, attamen non tam bene & perfecte: quia calculus a cathetere in vesica sæpe in actione chirurgica vel ad latus vesicæ dextrum, vel sursum, aut retrorsum urgetur, ut tam commode raro, quam in parvo, vel in alto, percipi undique possit. Quo melius autem ejus figura, situs, & magnitudo & visu & digitis cognosci possunt; eo melius de commodiori & aptiori extractione judicare valemus, atque inde consilium ex arena capere, qua ratione sit optime extrahendus: sicut etiam *D. Præses*, hoc in casu, quem descripsi, fecit.

64. Inci-

[q] Exemplum est in Meryi observ. p. 84. ubi expertus ille lithotomus Jacobus illum invenire non potuit.

64. Incisio in laterali methodo, ut *D. Præses* in *Instit. Chir.* suis jam dudum docuit, atque *Albinus* pluresque recentiores postea confirmarunt, primo difficilior est, quam in magno apparatu, ob vulnus, quod hic faciendum, ad vesicam usque longe profundius, quoque facilius partes utiliores lædi possunt: dum, in sulcum catheteris, qui in vesica hæret, incisio est facienda, præsertim si catheter sulcatus est tenuis sive angustus. Deinde etiam incisionem in vesicam usque in laterali longe difficilior esse, quam in *Celsi*, partim ex modo dictis patere potest; partim quia in hac calculus ad perinæum adductus, præsertim paulo amplior, super quo incisionem hic facit medicus, non tam facile, quam catheter angustus scalpellum fallit, nec hoc tam facile a calculo, quam a cathetere aberrare, sed facilius longe scalpello inveniri, & vesica super ipso patefieri potest. Cum vero scalpello, a cathetere circa vesicam aberrante, graves læsiones fieri possint, quales a *Jacobo* olim factas *Merius*, *Dionis*, *Latinaus*, alique in historia *Jacobi* notarunt, *Celsi* methodus, ubi non super angusto cathetere, sed super satis amplo calculo, præsertim ad cutem perinæi digitis pressio, incisio facienda, ut plurimum longe certior & securior est illa, quæ in laterali super cathetere, profunde in vesica latente, facienda est, adeoque propter certitudinem & securitatem illi etiam præferenda est, præsertim cum in *Celsi* modo certi simus, quod, calculo duce, ipsam vesicam super eo patefaciamus, quæ facilius deinceps se expandi patitur, ad calculum satis magnum educendum; cum e contrario in laterali sectione a chirurgis plerumque tantum iter urinæ, glandula prostata & cervix vesicæ incidantur, ut ipse *Douglas*, *Chefeldenus*, *Sharpius* alique fatentur.

Incisio vesica in laterali difficilior, quam in *Celsi* & *Mariani*.

65. Magnus apparatus itemque methodus lateralis, *Foubertiana* & *Cat-Parvus apparatus ceteris ægros minus terret.* *tiana*, ob ferramenta copiosissima ægros & adstantes vehementer terrent; cum quodlibet eorum aliquem dolorem, vel saltem metum gravis doloris ipsis incutiat: qui terror omni modo, quantum fieri potest, ipsis adimendus est: dum multi ex terrore mortui sunt. Contra *Celsi* methodus ob paucissima, quibus indiget, instrumenta, ægro & adstantibus longe miorem, imo vix ullum inducit terrorem: dum parvo scalpello sæpe solo tota hæc actio chirurgica brevissimo tempore absolvitur, vel ad summum unico tantum adhuc ferramento, unco scilicet vel forcipe adjecto. Terribilior etiam longe est modus ægros in magno apparatu ligandi hæctenus confuetus [r]; cum ille, quem *D. Præses* in usu habet, (§. 29. & 42.) levis sit, & vix quenquam valde terrere queat.

Parvus apparatus ceteris ægros minus terret.

66. *Fayus* in notis ad *Dionisii* oper. chirurg. p. 254. inter eminentia commoda apparatus magni refert, quod facile per vulnus in vesicam ægram ac sordidam liquores mundificantes injici atque vesica sic commode purgari queat. Verum hoc commodum longe magis habet methodus lateralis & *Celsica*, dum in his per plagam longe ampliorem, directe in vesicam desinentem, non solum injectio, sed & aliorum remediorum applicatio, facilius & mi-

Vesica in *Celsi* melius quam *Mariani* purgari potest.

Tom. IV.

A a

nori

[r] Qui videri potest in *Toleti* lib. de lithotom. Tab. XI.



norium cum dolore ac periculo fieri potest, quam si hæc per urethram, ac cervicem vesicæ, quæ valde sensiles sunt, adhiberi debent. Idem sentientium est iis in casibus, *ubi vel calculus*, unus aut plures, vel etiam tantum *frustula calculi majoris* in vesica, ob quantumque causam, & cumprimis ob ægri in sectione supervenientem debilitatem, ubi ab opere ex *Celsi* aliorumque prudentiorum consilio per aliquod tempus desistendum est, remanserunt: ubi *Fayus* etiam magnum apparatus *ad reliquias has ope forcipum eliminandas præ ceteris extollit*. Verum hoc in parvo & laterali modo longe facilius fieri potest: quia vulnus & via ad vesicam non solum est longe patentior, verum & via ad vesicam & e vesica extrorsum longe brevior; ubi opus non est, ut urethra & cervix vesicæ denuo multa vi diducantur, ut in magno necessario fieri debet; sed recta per plagam amplam & viam ad vesicam longe brevior, nulla vi dilatandam, commodius fieri potest, mihi que nulla methodus minus ad hoc negotium apta videtur, quam magnus in hunc scopum a *Fayo* laudatus.

Ubi *Celsi* laterali præferenda sectio? 67. Ceterum omnia fere, præter jam indicata *commoda*, *Celsiana* secandi ratio quoque *habet, que lateralis*, tantopere nunc a plerisque laudata. Nam (1) *sectio in eodem fit loco*, ubi in laterali, (§. 17. 52.) quod & *Douglas* in methodo laterali, & *Sharpus* in oper. chirurg. cap. XVIII. alique concedunt, atque sic *fundamentum est lateralis*, ut supra jam (§. 52.) dictum est; (2) per eandem viam calculus educitur; (3) potest in *infantibus, pueris & adultis minoris staturæ*, imo & subinde in majoribus, ubi calculus perinæo incumbit, aut *singularem figuram* habet, ut calculus noster fig. 3. 4. 5. æque ac lateralis fieri, & quidem longe simplici & promptiori modo; (4) *longe citius calculus in hac reperitur*, quam in illa & ceteris omnibus: adeoque & promptius educi potest; (5) si calculus collo vesicæ incuneatus, vel alia causa catheteris immisionem impediat, (§. 58.) *Celsi* modus usitatissimum lateralem & *Marianum* superat, atque tunc sacra, ut dicunt, anchora est.

Ubi *Mariana* & *altæ*. 68. Ita & *præ Mariana*, quæ forte *Celsianæ* solum in *majoribus personis* quandoque, ut §. 39. dictum est, præferri meretur, jam *quamplurima commoda* variis in locis hujus dissertationis & speciatim in §. 42. 52. 55. 57. 58. 60. 61. 63. 66. in quibus *Marianam* superat, indicavimus. Verum *Celsiana* etiam *Mariana* præstat, *quod vulnus fiat 1. super ipso calculo*, ut longe facilius deprehendi atque extrahi queat. 2. *Vulnus fit longe amplius*, quam in hac, & tamen urinæ iter nullo modo læditur, qua calculus facilius prehendi & extrahi potest, atque simul multa gravia mala præcavimus. 3. *quod catheteribus & ductoribus hic carere queamus*, utpote quibus sæpe acerbissimi dolores gravesque læsiones inducuntur, & quæ sunt alia: quæ omnia hic referre nimis prolixum esset, & alibi jam indicata sunt. *Præ alto autem apparatu* hoc habet, 1. quod securius vesicæ corporis vulnus in *Celsiano* insigatur, quam in illo; ubi facile fundus vesicæ, quod vulnus lethiferum fit, læditur; etiam si varii chirurgi Galli, quasi

quasi fundus sine noxa incidi possit, temere scripserint. (§. 21.) 2. calculus facilius reperitur, dum mox in sectione in conspectum prodit. 3. quod glutinatio vulneris plerumque facilius quam in alto succedat.

69. Quod vero pauci recentiorum antiquissima hac methodo utantur, causam potissimum esse existimo, primo, quod nonnullos pudeat adeo antiqua, vulgata, neglecta, contempta ac simplici methodo uti, quam nonnulli tam vilem habent, ut ne comparatione cum aliis dignam habuerint, [s] ipsamque hanc ob rem contemserint, quasi non aliam magis intricatam, difficilem & quæ magis ad mores majorum hujus seculi chirurgorum est, (aut, ut cum Gallis loquar; qui est *aujourd'hui plus à la mode*) perficere possent, secundum quam res veteres & simplices, quæ non sunt ad mores hujus seculi, (qui ne sunt plus à la mode) multis fordent. Altera ratio potest esse illa, quod magni illi chirurgi simplicem adeo methodum propterea exercere noluerint, ne nimis multi eam ab ipsis discerent, atque sic inde damnum sentirent. Hoc olim non celavit, valde ad rem attentus, Ravius suis discipulis, & inter hos etiam D. Præsidi, dicendo, se eos suam methodum non docere, ne sibi ea damnum postea inferrent: a qua vero turpi invidia vel avaritia vir bonus, honestus & cordatus, ex D. Præsidis sententia, debet esse quam alienissimus, & potius pro utilitate publica, quam pro propria sollicitus esse. Atque hæc sunt, quæ speciminis loco studiorum meorum ex quamplurimis curationibus chirurgicis, quas per triennium illud, quod fere hic consumsi, de famosa hac calculi curatione in medium proferre volui. Plura quidem his adhuc in curatione tam gravi addi potuissent. Verum ea doctioribus relinquam, contentus, si præcipua tantum me indicasse benevolus Lector de labore meo judicabit, cujus favori me commendo.

Quare
pauci ea
utantur.

COROLLARIA.

Præstantiam & utilitatem methodi Celsianæ uberius illustrantia a Præsidi adjecta.

I. **C**uratio chirurgica, quo paucioribus indiget ferramentis, eo præstantior a plerisque præstantioribus chirurgis habetur; & contra quo plura requirit, eo est difficilior, & eo majori cura est instituenda: quia facilius error in adeo multis, quam in paucis committi potest: ut rectissime in Cel. Platneri Inst. Chirurg. p. 967. judicatur. Verum qui hac in re mecum consentiunt, hoc ipso Celsianam præstantiorem & faciliorem ceteris esse fatentur: quamvis eam pauci neque ob hanc, neque ob aliam causam laudent.

A a 2

2. Falsum

[s] Ut Dranius (le Dran) in libr. cui titulus Parallele de differentes manieres de tirer la pierre hors de la vessie; pag. 51. & 52. & Sbarpius in oper. chirurg. aliique.



2. Falsum est, quod *invento magno apparatu*, *Celsiana calculum secandi ratio prorsus rejecta* sit, ut perhibent *Garegeot & Sharpus* in oper. chirurg. aliique, quamvis semper postea nonnulli eam suppressere voluerint, (inter quos etiam ipse *Hildanus* fuit) intelligi potest ex *Petri Franci gallico* lib. de Hern. p. 121. initio cap. 32. qui ann. 1561. scripsit, quod suo tempore adhuc fuerit communissima & plerisque adhuc usitata, ex *Parco* Lib. XVI. cap. 41. *Rosseto* Lib. de partu Cæsareo, *Durante Scaccho*, in *Subsid. Medic.* p. 182. & seq. *Hildano*, *Fabricio ab Aquap. Sculteto*, aliisque, ubi de lithotomia agunt.

3. *Neque parentum nostrorum aut nostra aetate prorsus rejecta* est, ut idem *Garegeot. Sharpus* p. 201. aliique volunt, cognosci potest ex *Toleto & Grænevelt.* libr. de lithotomia, *Muyssio* obs. chir. 3. Dec. XI. *Meryo*, lib. de la maniere de tailler, exemplis famosi circumforanei Galli, *Raoux* dicti, & *Fratri Jacobi*, p. 1. & seq. *Dionis* in oper. chirurg.; cel. *Marino*, chirurg. & lithotomo Italo, in *Prat. sua*; *Simonio*, med. chir. ac celeb. lithotomo *Wirtenb.* in *diff. de Embryulc. & lithot.* *Tubingæ* edita 1708. p. 13. *Jac. Douglas* de operat. laterali, edit. angl. p. 3. & edit. lat. pag. 9. *Morando* in *Act. Gallicis A.* 1731. *Bachetono*, Medico Bononiensi, in *Epist. ad Sancaffanum* de lithotom. diversis methodis: in qua scribit, quod adhuc hodie a chirurgis Græcis in Italia, præsertim *Bresciæ* sæpe instituitur; (adeoque sine dubio etiam in *Græcia ipsa adhuc frequens & vulgaris* erit,) itemque *Pye*, Anglo in obs. p. 11. *Denysio* in obs. p. 95. & *Teichmeiero* *diff. de calc. sect.* p. 2. semperque sic ejus defensores habuit; licet *Parisiis* aliisque quibusdam in locis a multis contenta & neglecta fuerit.

4. *Magnus & lateralis apparatus* ejusque omnes species, ut *Raviana*, *Chefeldeniana*, *Morandiana*, *Perchetiana*, *Foubertiana*, & *Cattiana*, in *Gunz.* lib. de calcul. & *Platneri* *Inst. Chirurg. descriptæ*, ægris omnibus illis non adhiberi, adeoque nec prodesse possunt, quibus catheter in vesicam demitti nequit; quod fatentur omnes horum fautores, vid. *Instit. Chir. nostr.* p. 948. verum hos miseros sæpissime adeo simplex & contenta ista *Celsi* methodus a calculo liberavit, atque adhuc liberare potest: ideoque his in casibus omnibus quam manifestissime illis speciosis præstat, conf. *differt. hujus* §. 58.

5. Dari vero sæpe casus, ubi præstantissimi chirurgi catheterem in vesicam immittere non potuerint, præter alios, multis recentibus *Parisiensium* exemplis *Cl. Gunzius* in *observ. de calcul.* p. 20. probavit.

6. Si itaque tunc in casibus *Coroll. 4.* eam utilem & necessariam agnoscunt, cur non etiam in pueris, juvenibus, vel & adultis minoris stature eam commendant, atque laude & comparatione dignam agnoscere volunt? dum ea ipsa, ut jam demonstravimus, idem, idque sæpissime faciliori, leniori-que modo, uno scilicet vel duobus tantum vilibus ferramentis perficere licet, quod alii ingenti ferramentorum copia, multis ambagibus, difficultatibus & artificii intricatissimis, atque sæpe periculosissimis modis perficere intendunt.

7. Hinc

7. Hinc *Dranius* [†] & *Morandus* loc. cit. recte volunt, ut *bonus Chirurgus omnes eousque cognitae calculum secandi vias*, (atque sic etiam *Celsianam*) probe calleat.

8. In magno & *Chefeldeniano* calculum secandi modo *urethra, cervix vesicae* & *prostata* vel *disscantur* vel *dilacerantur*; in parvo autem *sola fere vesica* inciditur, (nisi forte calculus in ipsa *cervice hæreat*) manentibus ceteris illis partibus illæsis.

9. Fere omnes, etiam recentissimi, qui alias magnum vel lateralem apparatus laudant, *parvum tamen, si calculus cervici vesicae impactus est*, unice commendant, illosque tunc ineptos esse fatentur.

10. Sed peccant iidem, quando *eum tantum in hoc casu utilem esse & usurpari posse* dicunt, ut *Merius* l. c. *Garengot, Douglas, Fayus* in not. ad *Dionisii* Chirurg. p. 221. alique, qui se invicem tantum exscribunt; cum etiam in casibus coroll. 4. aliisque plurimis utilis sit. vid. *Dissert.* hujus §. 34. 35. ad 40. 59. & 60.

11. Male multi, vel *ex odio* in simplicissimum illum apparatus, vel *ex eo non rite intellecto suadent*, ut *calculus cervici vesicae impactus* (Coroll. 5.) cathetere *in vesicam repellendus*; cum æger tunc facillime nobili hac methodo ab illo liberari possit; qui vero contra per absolum hocce consilium vel in doloribus calculi sævissimis relinquitur; vel difficiliori modo postea inde liberandus est.

12. Contra veritatem asseruit *Sharp* l. c., *quod nemo amplius sit, qui calculi sectionem sine specillo, ductore perficiat*: cum præter exempla coroll. 3. citata, vel recentissimum nostrum in hac *diff. descriptum*, contrarium evidenter ostendat.

13. Ita & qui *catheterem absolute necessarium in sectione calculi esse existimant*, illos *Celsiana*, *alta* & *Foubertiana* methodus erroris convincunt.

14. *Felices successus methodi Raviana & lateralis* me de *Celsiana* (tanquam simpliciori & faciliori) *instauranda* atque in frequentiore usum revocanda *impulerunt*; quia hæc *revera mater & fundamentum* est *lateralis*, vid. *Diff.* n. §. 52. & 67. atque *vix nisi instrumentorum paucitate & simplicitate a lateralibus differt*, (consentientibus *Noelio* in *Meryi* lib. cit. p. 75. *Douglas* in *lateral. operat.* p. 6. aliisque) eamque ob causam, si a prudentibus instituat, his sæpissime præstat.

15. *Partes etiam incidende in Celsi sectionis modo eadem sunt*, quæ in *Raviano*, teste *Noelio* l. c. *Freindio* in *Hist. Med.* *Sharpio* l. c. & aliis, ex quibus sic ejus præstantia patet: cum primis quia in *Celsiano* vesica minus ferramentis, quam in *lateralis*, vexatur, utpote a quibus gravissima sæpe mala & mors ipsa concitata sunt. conf. *Cor.* 19. & 22.

16. *Morandum* præterea planissimum fecisse, in *Act. Gall.* 1731. *lateralem sectionem*, quantum ad partes sectas attinet, *ipsam Celsi* esse, *Cl.*

A a 3

Plat-

[†] Lib. qui *Parallele* gallice inscribitur.

Platnerus asseverat l. c. 956. ubi & parvum apparatus rectissime speciem vocat sectionis lateralis, sive rectius, ex mea sententia, lateralem, speciem faciat Celsianæ.

17. Qui parvum apparatus consideratione (aut comparatione vel laude) indignum judicat; (quales tamen varii hodie sunt) ex sententia Marini laudati l. c. p. 183. non est bonus aut verus Lithotomus, & forte varii eorum ipsum nunquam perfecerunt.

18. Multi injuria Celsianam periculi plenam proclamant: cum sane & facilior sit & minus, vel saltem non plus periculi habet, quam omnes ceteri.

19. Marinus de parvo apparatu recte dixit: utinam in adultis tam commode, quam in juvenibus adhiberi posset, paucos illorum (ob egregia ipsius commoda) ab hac sectione morituros. Nam in magno apparatu, (imo & in laterali quocunque) catheteribus, ductoribus, aut forcipibus in vesica & urethra sæpe graves fieri læsiones, Cor. 15. asseverat; dum caeca quasi ratione in abscondito iis est agendum, unde multa mala & mors facile inducerentur: cum e contrario in Celsi modo visu & tactu omnia longe accuratius & securius explorari, videri & perfici possint.

20. Marinus porro dicit, quod, qui in infantibus aut pueris magno utitur apparatu, imperitiæ suspectus sit, lib. cit. p. 184. ubi multa alia in laudem & commendationem methodi Celsianæ proponit.

21. Item, quod calculus, licet etiam asper & spinosus sit, tantopere in parvo apparatu vesicam, dum extrahitur, non lædat, quantum ferramenta vel politissima, quæ in magno (vel laterali) in eam intrudenda & educenda sunt, si caute agatur.

22. In parvo præterea apparatu sæpe duos calculos simul, & si plures adsint, ceteros brevi post, folis plerumque digitis, e vesica expelli posse docet. Sed in magno (adde & in lateribus) forcipe, aliisque ferramentis haud sine novo dolore alter post alterum diu sæpe est investigandus, & repertus forcipe prehendus atque extrahendus, quibus sæpe repetitis actionibus vesicæ læsiones, lacerationes, dolores & inflammationes multiplicarentur: præsertim cum unicus isque parvus calculus, ut forcipe deprehendatur atque extrahatur, longissimum sæpe tempus requisiverit, imo interdum a præstantissimis chirurgis inveniri nequiverit.

23. Denique Marinus ante Dranium collum vesicæ hic in calculi extractione per magnum apparatus, ut olim docuerunt, non dilatari; sed lacerari p. 185. docuit; quæ vero laceratio (& inde metuenda pericula) in Celsi modo non pertimescenda.

24. Errant deinceps ii recentiores, qui in infantibus & pueris eum tantum locum habere statuunt: nam non solum jam veteres multi ab Æginetæ tempore; sed etiam adhuc nuper, præter alios, Cl. Morandus loc. cit. si modo res rite instituat, adultos & senes hac curandi ratione a calculo liberari posse docuerunt (Conf. dissert hujus §. 34. 35. 40. 45.) itemque exemplum hac in differ-

dissertatione descriptum: Imo *Scacchus sexagenarium* parva *Celsi* methodo curatum vidit l. c. p. 153.

35. *Jacobus sepe parvo apparatu pueros secuit*, teste *Merio* l. c. & *Listero*, atque eodem in loco & parvum & lateralem suam methodum instituit; unde rursus patet, *Celsi* antiquam & novam *Jacobi* ac *Ravii* non loco, sed instrumentis differre. Vid. Coroll. 14. & 15.

36. Si verum, quod *Gunzius* in obs. de calcul. posuit, quod illa methodus lithotomiae optima sit, in qua æger minimum periculum, & maximam securitatem habet, sicut revera & ex mea est sententia, sane *Celsiana*, me iudice, erit optima: quamvis hocce ratiocinium ille non in *Celsianæ*, sed in alterius methodi laudem adduxerit.

27. *Dedecori multis Chirurgis præstantioribus recentioribus cedere existimo*, quod adeo simplicem & antiquam, attamen tam egregiam *Celsi* methodum, hisce temporibus adeo neglexerint, aut prorsus omnino contemserint, atque in novis, valde compositis, atque intricatis excogitandis atque exercendis fere tantum occupati fuerint; cum illa in plerisque, si non securius atque commodius, quam hæc, profecto tamen æque secure & recte adhiberi queat.

28. *Inter commoda & præstantia methodi Celsianæ*, præter dicta Coroll. 1. 4. 17. etiam pertinet, quod non opus sit, ut in alto apparatu, *Foubertiano* & primo *Chefeldeniano*, vesicam multo cum labore & dolore, ac non prorsus sine periculo, aqua distendere: quia hac repletionem hic non indigemus.

29. *Commoda*, si forte non omnia, sane plurima, quæ apparatui magno & lateralibus, magno labore tribuuntur, parvo plerumque melius, aut saltem, si res rite consideratur, æque bene obtineri possunt.

30. E contrario multas lesiones & pericula a *Chefeldeniano*, *Foubertiano*, *Draniano*, & *Cattiano* curandi modis, a *ferramentis vesicæ*, *cervici vesicæ* ac *prostatibus inducuntur*, notavit quoque *Gunz.* in obs. suis, p. 123. ad 128. quorum pleraque & fere omnia non metuenda in parvo. Vid. Coroll. 15. 19.

31. *Cattiani* curandi via majores adherentesque calculos optime educi posse idem asseverat p. 132; quod vero, si non adhuc melius, saltem æque bene per parvam fieri posse existimo, vid. *Teichmeier* l. c. præsertim si, ut ego in ultimo casu egi, forceps idonea in auxilium prudenter simul vocetur.

32. *Ad præstantiam methodi Celsianæ* quam maxime etiam pertinet, quod, si in exploratione plures in vesica calculos adesse sentiuntur, fieri possit, ut maximus eorum vel saltem magnus, digitis ad perinaeum appellatur, & super hoc vesicæ incisio sufficiens, instituat: ita ejecto postea prius majore, minores per viam jam satis amplam facile sequuntur, imo haud raro duo simul expelluntur. conf. coroll. 22.

33. Igitur ubi calculos plures adesse cognoscimus, *Celsianam*, si nihil aliud hoc impediatur vel obstat, ceteris omnibus præferendam esse censeo.

34. *Inter*

34. *Inter utilitates, quas Celsiana methodus attulit, etiam referendum est, quod ex hac orta sit Raviana ac Cheseldeniana, (vid. diff. §. 52.) imo & Eubertiana & Cattiana; dum omnes per eandem viam, quam Celsus pro calculo educendo ad vesicam parare docuit, in vesicam intrent, & per eandem calculos educant (Cor. 15. & 16.) atque sic etiam omnia fere commoda illa habet, quæ his adscribuntur.*

35. *Ita & ea curatio, qua in urina suppressa ope punctura, beneficio acus cuspidè triquetra donatæ, in vesicam per perinæum immittæ, urinam educimus, Celsi methodo suam debet originem; licet vulgo Fratris Jacobi methodo adscribatur: quia prædicta acu per eandem viam in vesicam intramus, per quam scalpellus in calculo excidendo ad vesicam in Celsiana abit. Conf. cap. 144. oper. chir. nostr.*

36. *Qui lithotomiam magno aut laterali apparatu quocumque bene perficere possunt, magnam profecto in Chirurgia & scientiam & dexteritatem ostendunt; attamen omni hoc complicato & multiplici labore agris non plus utilitatis præstant, quam illi, qui simplicissimo Celsi calculum eis educunt.*

37. *Qui scriptores tradunt parvo apparatu non omnis generis atatis homines a calculo liberari posse, experimenta forte ipsi non instituerunt; sed se invicem tantum exscripsisse videntur. Nam neque rationes, neque observationes idoneas, quæ hoc probent, proferunt. Nos vero, quod in omni atate hoc fieri queat, si modo personas valde magnas excipias, rationibus, exemplis (Diff. §. 34. ad 37. & Cor. 24) & consensu multorum probatorum auctorum evicimus.*

38. *Forcipsis usum in parvo apparatu antiquos ad sæculum usque XVI. mihi ignorasse videntur. Nam primo eam laudatam inveni a Durante Scaccho lib. cit. p. 196. postea a Fabricio ab Aquapend. in oper. chir. ac. Fiemo in Controv. Chir. p. 71. & denique etiam Fr. Jacobus, teste Meryo, in hoc eà usus est: (quos ego hæc in re imitari studui) quæ sane egregiam emendationem acquisivit, ut nimirum, ex mea sententiâ, hujus ope calculi tam magni, ut forte unquam in lateralibus methodis, educi queant: sicut & nostrum recentissimum exemplum diff. §. 23. aliqua ratione docere potest. Sed ut antiquissimi, ita & plerique recentissimi de forcipis utilitate in parvo apparatu, ut Garengot, Dranius, Scharpius, Fayus, Gunzius, aliique silent; forte ut sic eo meus eum contemnere queant.*

39. *Laudant multi operationem lateralem propterea, quod non facile fistula post eam in perinæo oriatur. Verum idem profus commodum Celsicam quoque habere, si curatio rite instituat, non solum ratio docet; quia similes partes discinduntur, (vid. Cor. 15. 25. & 34. calculus leniori modo educitur, & plaga eadem ratione, ut in laterali curatur; verum etiam experientia hoc, cum in aliis casibus, tum præsertim in nostro hoc ultimo, ubi tam magnus, inequalis ac asper calculus, uti figur. nostr. 3. 4. 5. ostendunt, in debili, parvo, & mali corporis habitus ægro extractus est, & tamen fistula non est secuta, sed vulnus quarta hebdomade perfecte glutinatum fuit. Se-*

pius

pius vero *ssfulam secutam esse apparatus magnum*, ob majorem cervicis lacerationem, præsertim ubi calculus ejusmodi adfuit magnus & asper, ut & lateralem, iis præcipue in ægris, quos *Jacobus* secuit, testantur *Listerus*, *Bussierus*, *Merius*, *Saviard*, *Laumeus*, *Dionis*, *Douglas*, imo fere omnes, qui de lithotomia scripserunt.

40. Ita & *cetera commoda, quæ magno, & lateralibus secandi modis tribunt*, pleraque & vix uno excepto, etiam jure Celsiano, imo, nisi me omnia fallunt, multo *adhuc majori jure adscribi possunt*; cum tot ferramentis, quorum incautus usus sæpe gravissimus vesicæ læsiones & mortem ægris induxit, in Celsiana non indigeamus: ita, ut commoda, *quæ a cathetere sulcato & ductoribus multi quæerunt, ab uoxis, quas sæpe inferunt, haud raro valde superentur.*

41. Et si etiam interdum forcipe in Celsiana utamur, calculus tunc, si adhibetur, jam in ore vulneris hæret, oculis conspicitur, & digitis libere, prout fig. 2. nostra lit. A B ostendit, tangitur, sic, ut ad eam calculo admovendam neque specillo sulcato, neque ductoribus, qui vesicam, lædere possunt, indigeamus; sed tantum calculum jam conspicuum ea comprehendimus, atque, quantum fieri potest, caute & leniter, securiori, vel saltem æque segura, quam in reliquis ratione, educamus.

42. *Celsum hoc lithotomiæ opus ipsum perfecisse*, haud sine ratione existimant *Hildanus* lib. de lithot. in oper. latin 703. atque *Groeneveltius* l. c. quia tam bene illud descripserit. Quamvis *Hildanus* ob præjudicatas opiniones hujus methodi non fuerit patronus, sed infensissimus potius hostis, & periculum ejus tironibus plus justo auxerit.

43. In laterali & *Foubertiana* non tam certi sumus, quod vesica scalpello patefacta sit, quam in parvo; dum quamplurimi ductores in devia loca immiserunt: quia in hoc calculum tunc visu & tactu percipimus.

45. *Calculum vesicæ adherentem & tunicis inclusum non sine summo periculo forcipe comprehendere*, recte judicat *Cel. Platnerus* loc. cit. p. 978. sed opus esse docet, ut tunica ejus prius incidatur, & postea a vesica solvatur. Hoc quidem in omni methodo difficulter succedit; Celsiana tamen, ex mea sententia, hoc & fungorum refectionem commodius, quam magna & laterali fieri posse existimo: quia digitis in hac melius in vesicam pervenire possumus, quam in ceteris.

46. Laudatur a nonnullis pro optima methodo, quæ omnibus vesicis adhiberi potest, & qua omnes calculi educi queunt, atque hoc in *Cattiana* esse putat *Cl. Gunzius*, alii in magna, alii in laterali. Sed talem methodum, quæ omnibus vesicis adhiberi potest &c. non dari, ex Coroll. 4. disci potest.

47. *Qui lithotomiam nunquam perfecerunt, non tam bene de ea judicare posse* existimo, quam qui eam, præsertim omnibus usitatoribus quatuor modis, perfecerunt: quia illi ex sola ratione, hi simul ab experientia loquuntur.

48. *Fienus* prudenter dixit, magnum apparatus in adultis majoris stature, ubi digitis calculum apprehendere non possumus; Celsianum vero in pueris & minoribus adultis adhibendum esse. Itaque secundum hujus viri doctissimi sententiam



tiam *methodum Celsianam* in omnibus institui vult, exceptis solum adultis majoris staturæ, & quidem speciatim in illis tantum, ubi calculus digitis apprehendi nequit. Sed magno apparatusi vulgari nostris temporibus, si hic digitis apprehendi nequit, aptius *lateralem Ravianam* vel *Cheseldenianam* substituendam esse censeo.

48. *Simonius* Medicus & Chirurgus Wirtemberg. in Suevia, jam supra laudatus, cujus Parens & Avus jam in lithotomia ibi celebres fuerunt, & qui ipse eam hoc adhuc in seculo, & cum primis, cum parvo apparatusi feliciter sepe exercuit, in dissert. supra jam Coroll. 3. citata, omnibus probe perpenfis, *Celsianam* quoque *methodum ceteris* præfert p. 14.

49. Sicut in ceteris methodis, ita & in *Celsiana sectio exterior* bene amplè præstat nimis augusta, sicut *Celsus*, *Ægineta*, *Albucasis* &c. jam agnoverunt.

EXPLICATIO TABULÆ.

Fig. 1. Ostendit quomodo in ægri secandi situ pedes divaricandi, scrotum elevandum, digiti duo in anum immittendi, & super tumore, quem calculus efficit, incisio sit facienda. A locum maxime a tumore elatum, B. B. incisionis obliquæ tractus.

Fig. 2. Quomodo calculus in hac incisione se ut plurimum ostendere solet, atque etiam in ultimo nostro ægro se ostendit.

Fig. 3. Calculum hujus ægri in vera magnitudine & situ: ubi A partem ac faciem ejus anteriorem; B posteriorem five superiorem exhibet.

Fig. 4. Calculi hujus faciem, si in sinistrum latus convertitur, demonstrat: ubi C eminentiam magnam indicat, quæ intestinum rectum respiciebat; D partem superiorem; G vero aliam eminentiam magnam; quæ ambæ in fig. 3. non conspiciuntur.

Fig. 5. Faciem ejusdem calculi in latus dextrum inclinati: ubi vero E eandem prominentiam majorem, C. figuræ 4. Sed F partem tantum calculi supremam.

CIII.

Q U Æ S T I O
M E D I C O - C H I R U R G I C A ,

Quam Præside

M. CAMILLO FALCONET,

Tuebatur

PETR. ISAAC. POISSONNIER,

D I V I O N N Æ U S .

Sub hac verborum ferie ,

*An educendo Calculo, ceteris anteferendus Apparatus
lateralis ?*

Parisiis die 21 Maii anno 1744.

B b 2

